

RESPONSIO REMONSTRANTIUM

ad Libellum cui titulus est,

SPECIMEN CALUMNIArum atque heterodoxarum Opinionum, ex Remonstrantium,

APOLOGIA

excerptarum.

INSTAR PRODROMI IN LUCEM emissum per quatuor Professores Leydenses.



HARDERWICI,

Ex officina Typographorum Remonstrantium.
Anno 1631.

AD LECTOREM.

B*Enevole Lector.*

Reſponſionem hanc ante menſes aliquot
dornatam & elaboratam nunc demum publi-
i juris facimus. Cauſſa hæc eſt. Diu animi
ependimus, premere eam an vulgare eſſet con-
ltius. Ex iſta parte erant, qui exiſtimabant
on eſſe operæ pretium ut in lucem ederetur.
ecimẽ enim a Profeſſoribus Leydenſibus edi-
m non eſſe niſi σκελετὸν ſine carne, venis, nervis,
ſibus, Spiritu. Paucos eſſe eruditiores, quibus
ciniosæ iſtæ farragines placent. In ijs cando-
m fere in citando deſiderari & vim in argu-
entando. Speciosas eas magis eſſe & videri po-
ulo, quam ſolidas. Et jam Specimen hoc adeo
rvi fieri ut tantum non eviluerit. Nunquam
iem futurum, ſi ad inania & levia iſta ſemper
quid reponatur. Præſtare ut exſpectetur ple-
i reſponſum ad Apologiam, atque ita una ea-
mque opera de re tota ſeriò diſputetur. Ex hac
ro parte erant, qui editionẽ ejus poſtulabant,
gitabant, urgebant. Quippe exſpectari eam

(·.·) ij &

& desiderari in Germania, Anglia, Gallia atqu
imprimis Belgio nostro, quin & promissam ess
ac propterea vadimonium non deserendum. E
jam audiri murmura, quasi silentium nostrur
sit vel tacita calumniarum & heterodoxarur
opinionum agnitio & confessio, vel sacratissim
facultatis Theologicæ vilipendium. Atque ho
rum quidem sententia potior tandem nobis vi
est. Quare en tibi eam, Lector, ut legas, exam
nes, expendas. Gratiam tuã non poscimus. Co
scientiã tuam appellamus & favorem tuum pr
mittere nobis audemus, si præjudicium modo
affectum procul habeas. Breviter respondim
& serio, pro more nostro ac caussę, de qua agit
pondere. Nimirum hic non tam inquirim
quod dogma verũ aut falsum, quod orthodoxu
aut heterodoxum sit, quam, an ea quę in quęsti
nẽ a D.D. deducta sunt creditu necessaria sint n
ne. Hoc operępretiũ est scire & necessariũ. Ist
ut ut operæ sit pretium, necessarium tamen n
est. Christianus orbis laborat & gemit sub sch
matum jugo, & quæ ex illo fere nascuntur o
orum & factionum pondere, nec spes est ut lib
retur, nisi per accuratam necessariorum dogm
tum a non necessarijs distinctionem. Atque h
est Apologiæ totius & Responsionis hujus sc

pı

pus. Quare non eſt quod te moveat hoc Doćto-rum Specimen, quaſi Remonſtr: id egerint, aut in eo toti ſint, ut orthodoxa dogmata convellant & quæ Chriſtianus orbis magno conſenſu vera eſſe judicavit, labefaćtent, vetereſque ac ſepultas hæreſes refodiant & de novo quod dicitur paxil-lo ſuſpendant. Nimis longe hoc abeſt a pro-poſito Remonſtrantium, quibus mutuæ to-lerantiæ conſilium in omnibus non neceſſarijs ad ſalutem dogmatis hactenus ſemper placuiſſe atque etiamnum placere ſcripta eorum omnia idem faciunt. Hinc enim eſt quod, ſi quæ dog-mata intelligant eſſe non neceſſaria, de ijs di-ceptandis non magnopere laborent; & ſi vera ea atque orthodoxa eſſe perſuaſum ſibi habeant, cum cæteris Orthodoxis libenter retineant; ſi ea falſa eſſe & tamen pro Orthodoxis haberi vide-ant, ſilentio premere, diſſimulare & ſuum cuiq; de ijs judicium liberum relinquere ſatius du-cant, in pacis & concordiæ publicæ gratiam, quam præfracte impugnare ant contentioſe re-pellere cum jactura caritatis & ruptura unitatis. Tantum hoc cavent atq; operam ubique dant, ne dogmata ulla etiam ſi vera ſint, attamen non neceſſaria, nedũ falſa, periculoſa ac noxia, in ne-ceſſariorum ordinem redigantur, aut propter ea

 ſchiſ-

ſchiſma ac divortium fiat, vel quod factum eſt, ratum habeatur, quod fere uſitatum eſſe in omnibus Chriſtianorum ſectis nemo pius ac pacificus Dei cultor ſine lachrymis obſervat. Nimirũ ſola ſolicitudo pro neceſſarijs ſufficit, ut ſaluti ſingulorum & omnium paci ſimul ac libertati conſuli poſſit. Fieri enim vix poteſt, quin Eccleſiæ, quę in neceſſarijs conſentiunt, in cæteris omnibus non neceſſarijs, in quibus diſſentiunt, terminos moderatos reperiant, intra quos volentes lubenteſq; compingi ſe ſinãt boni publici cauſa: Ad quaſlibet potius caritatis ac prudentia leges ac conditiones adſtringi ſe patientur, qua ut propter non neceſſaria turbare velint, ſi quid Chriſtiani ſanguinis ac Spiritus reliquum habent. Sed hic væcors Spiritus multos Eccleſiarum Doctores nunc agitat, ut de veritate & pro veritate dogmatum omnium præfractè dimicare malint, quã compoſita mente inquirere qua ſingulorum dogmatum neceſſitas ſit. Hinc alia fere voces non ſonant in ſcriptis & Eccleſijs eorum, quam, Hoc ἑτερόδοξον eſt, hoc novum eſt. Hoc Pelagianum, Hoc Socinianum eſt, & hoc eviciſſe ad damnationem dogmatis ſufficit. Quam hoc ſit dolendũ quis non videt? Heterodoxum aliquid eſſe poteſt, quod verũ eſt & orthodoxi quod

quod non eſt creditu neceſſarium. Pelagianum vero quid ſit, quotuſquiſque intelligit? de ſententia Pelagij genuina, lis adhuc ſub judice eſt. Et ut videas Lector quam levi brachio Pelagianiſmus alicui impingatur, vide ſis obſecro id quod *Antonius Walæus* Doctorum horum unus, in Reſponſione ſua ad Cenſuram Ioannis Arnoldi Corvini ſcripſit pag. 308. ubi rationem doctiſſimi Corvini tertiam deſumtam a formula Baptiſmi in Gallicis omnibus Reformatis Eccleſijs uſitata, cujus hæc ſunt verba *Ainſi nous recevons double grace & benefice de noſtre Dieu au Bapteſme, moyennant que nous n'aneantiſſions point la vertu de* ce Sacrement, par noſtre ingratitude, id eſt, *Sic nos in Baptiſmo a Deo accipimus duplicem gratiam & beneficium, ſi modo* (vel ea lege ſi) *nos ipſi non annihilemus virtutem hujus Sacramenti per noſtram ingratitudinem*, hanc inquam rationem refutaturus, in hæc verba loquitur linea pag. 27. *Deinde non ſatis mirari poſſum, quod formulæ Baptiſmi, qua & ipſe in Eccleſia noſtra (ni fallor) baptizatus es, & plurimos ante defectionem veſtram, ipſe in eadem baptizaſti, tam parum ſis memor: ubi enim in illa formula conditio illa extat quã adjungis*, niſi vim Sacramenti nova ingratitudine enervẽt, *veſtrũ hoc adſumentũ, &* NOVORUM PELAGIANORUM, *non noſtra doctrina eſt*. En repente cũ D. Polyandro & Riveto Eccl: omnes Gallicas Reforma: Pelagianę Hæreſeos damnatas & a cæteris diviſas ac divulſas, niſi hoc adſumentũ formulæ ſuæ detrahant

hant & ſic cum Doctore hoc in gratiamredeant
Hoc ſcire te voluimus, Lector, ut diſcas, non ter
reri judicijs hominum, nec vocibus hæretico
rum ſed hæreſibus, ante omnia non damnar
niſi quos Deus apertè damnat. Vale.



Ex

Examen

PRAEFATIONIS,

Ad

CHRISTIANUM LECTOREM.



UALIS VIR, TALIS FERE EJUS eſt oratio. Hæc jam eſt tertia Præfatio Doctorum Leydenſium, quæ prioribus duabus Latinæ & Belgicæ Cenſuræ præfixis, non aliter reſpondet, quam ſi ex ipſis, aut eodem, quod dicitur, ovo prognata eſſet. Eundem prorſus genium, eundem animum ac piritum refert, atrum ſcilicet aut ægrum. Alterutro enim vitio, it utroq; ſimul infectus ſit oportet fons, unde tam ſordidæ & a- iaræ orationes, profluunt. Modeſtiam ubique requirunt a Re- ionſtrantibus Doctores Leydenſes, imprimis ubi famæ atque ex- timationis ſuæ periculum metuunt. Sed æquum fuerat, eos, qui ipulas alienas obſervant, ſua primum ulcera videre. Pulcherri- ium eſt Doctorum elogium, qui cum alijs monſtrant viam, ipſi ſi- i primi ſemitam ſapiunt. At vix ordiuntur Doctores ſcripta ſua, uin in ipſo ſtatim limine ac veſtibulo, modeſtiâ omni valere juſſa, agno cum impetu in Remonſtrantes irruant, & plenis convitio- im ac maledictorum velis in eos invehantur, tanquam in Religio- is Reformatæ perduelles, blaſphemos & generis humani hoſtes; uaſi hoc unum impensè operam dent, ut eos publici odij victimas ciant. Nec mirum, unde modeſtia exulat, ibi impetum regna- : neceſſe eſt. Res hic loquitur. Cum juſtâ & ſeria beneque me- itata reſponſione ad Apologiam Remonſtrantium eos in arenam eſcenſuros ſpes erat, & rei pondus merebatur, ut id fieret. At

nunc veluti histriones rupto velo, & diductis repentè cortinis cu specimine & rhapsodia in proscenium se dant, & lacinias quasda Apologiæ Remonstrantium detractas, præcipiti & abortivo con tu populo exhibent : Ac licet hoc condonari posset ingenti zelo studio eorum, quo nutantem causam suam & labefactatam Cens ræ suæ autoritatem veluti novo tibicine actutum suffultam volu runt (extemporaneus enim Zelus acer ferè est & præceps, atq inconsideratum sive inconsultũ aliquid habere solet) Attamen cu ei præfationes præscribant absinthio & felle amariores, quæ n modo non instruendis Remonstrantium, quos errare credunt, an mis, aut sufflaminandis partium studijs, sed acuendis & exasp randis omnium in eos odijs serviunt, effugere non possunt, qua alijs immeritò tribuunt, immodestiæ culpam. Duo eos imprim malè videntur habere. *Primum*, Quod morbidam Censura suam seriò & acrius paulum, quam existimationi & dignitati s convenire putant, in Apologia Remonstrantium attrectatam, quanto ubique pure malevolentiæ & odij in Remonstrantes, e rumque causam scateat, peritis rerum æstimatoribus, & pacis E clesiasticæ studiosis patefactum videant. *Alterum* est, Quod eâ non reperiant promtum ac paratum statim atrum ac damna rium illum calculum, quem levi brachio conijcere solent in myr das Christianorum, ad dissensiones quasque leviculas, aut quæ n nisi vel à multitudine vel à consuetudine contra-sentientium, n gnæ atque ingentes videntur, sed pro atro sæpe album, aut in q aliud nihil est, quam *Non liquet*. Nempe, moderata omnia co silia, benignitatis ac commiserationis Christianæ plena, Apolog probat, quæ sarciendæ paci & concordiæ, sanandisque schismat non necessariorum malis utilissima sunt. Neutrum sine ferme animi videre potuerunt Doctores Academici. Nec mirum. Qu quid infirmum est, querulum est, & ubi ulcus tangitur, ibi do excitatur & clamor. Tum, istud ferè Theologorum multoru imprimis Academicorum ingenium est, ut sententias & dogm sua, tanquam prætoria aliqua edicta sine suffragio populi rec velint, & quod semel temerè dixere, semper ac non nisi cum ad verato supercilio tueri velint ac defendere : Indignantur que quam plus quam se scire, & ad hostilem animum sufficit, si q ingenium eorum non adoret. Unde fit non rarò, ut sub Relig nis Zelo, doctrinæ atque eruditionis suæ contemtum ulciscant Bene habet. Remonstrantes non pœnitet nec propositi nec fa sui. Etsi enim nihil alienius ab animo ac professione eorum

Indicantur fontes unde Professorum malevolentia in Apologiam Remonstrantium promanavit.

qua

uam ut in ſerijs de Religione diſputationibus quicquam dicant ut ſcribant, quod ægrè ferre poſſit adverſarius, tamen nimis in-olens atque arrogans, nimis faſtidioſa, & ad odia mortalium om-ium contra Remonſtrantes inflammanda, compoſita ipſis videba-ır Cenſura, quam ut eam levi manu, aut leni oratione perſtringe-ent. Turgere eam videbant a capite ad calcem per omnia penè ommata, ſordidi inſtar ulceris, omnium ferè malignarum ſuſpi-ionum, ſiniſtrarum interpretationum, & peſſimarum detorſionum ure. Scalpello opus erat, quo hic illic pertunderetur, ut ſanies, uæ latebat ſub perſona Facultatis Theologicæ, erumperet ac diſ-ueret. Inſano atque adfecto iſti corpori remedium aliud non de-eri perſuaſum ſibi habebant. Ad hæc, tria potiſſimum erant, quæ ı Cenſurâ iſta magnum cauſæ ſuæ præjudicium adferre poſſe cre-ebant. Cenſentium autoritas, Cenſurarum ſive rerum cenſita-ım multitudo, & cenſendi acrimonia, in diras paſſim damnatio-es, & Anathematum ſuperbas denuntiationes erumpens. Cen-ntium autoritate, veluti faſcino præſtringi poterant judicantium aimi. Rerum cenſitarum multitudine, veluti denſo nimbo, obrui. enſendi vehementia, veluti fragore ac tonitru aliquo percelli & erturbari, ut judicio liberi atque integri non accederent ad Apo-giæ lectionem. Tria hæc veluti ſiparia amovenda erant, ut pro ıa parte ſtaret veritas, palam, & levato, quod dicitur, velo con-iceretur. Atque autoritatem quidem cenſentibus duo dabant, ıuneris quod gerunt, dignitas; & opinio, quæ de eorum in rebus heologicis ſingulari ſcientia, atque in cenſendo induſtria ac fide abetur. Iſtam ubique intactam reliquerunt, & uti par erat, in-iolatam, ſecuri in quos ea collata ſit: Alij eam habent, alij me-ntur. Hanc ut aliquando palam atque apertè imminutam irent, ıi momentum poſtulabat. Valentiniani lex eſt: *Si quis adeo pro-ıx fuerit, ut non ratione, ſed probris putet eſſe certandum, opinionis ıæ imminutionem patietur.* Id paſſim in Cenſura fieri videbant. robra fere ubique erant: Rationes & argumenta fere nuſpiam uæ accuratos veritatis patronos decent. Inſcitiam itaque & im-eritiam hic illic notaverunt, quando ea, aut adeo manifeſta erat, t manu pene palpari poſſet, aut cauſæ intererat, ut ea manifeſta eret. Nec convitium videri id debet, ſed juſta, & quæ nimium uriosis, & ad invidiam augendam minutiſſima quæque ſiniſtro culo perſcrutantibus Cenſoribus debetur animadverſio. Rerum enſitarum multitudinem extenuarunt ſubinde levi aliquo ſtylo, uti nflatos utres acicula ſolent, in quibus nil niſi ventus eſt. Leviculas

Cauſſa quæ Remonſtrantes movit, ut Apologiam ſuam ſtylo paulum acriore conſcriberent.

Tria indicantur quæ ad iſtum ſcribendi modum Remonſtrantes adegerunt.

enim plerasque ac non paucas insulsas esse ostenderunt, indignas utiq; tantorum Theologorum eruditione aut propter quas funis contentionis trahatur, vel serra disputationis reciprocetur. Contra non necessarias, quas putaverunt, damnationes, & superbas Anathematum denuntiationes, ubique aperto marte, & revelata fronte iverunt, tanquam contra Religionis Christianæ pestes, & Reformationis maculas & vibices. Enim verò ita secum reputabant, Non posse superbum, proclivem, ac præcipitem istum in Anathemata Spiritum melius retundi, aut reprimi, quam si damnantium imperitia in lucem proferretur, & in singulis pene dissensionibus seriò atque accuratè, sine gratia sine odio expenderetur, quæ causæ istius, circa quam dissensio est, necessitas sit, & quo ea jure, quibus fundamentis, quibus Scripturis, & rationibus Apodicticis nitatur. Hoc enim ante hac a paucis, eâ, qua par est, fide ac cura factum esse observabant. Nimirum sectæ penè omnes hoc unum agunt, ut propria sua placita ac dogmata, quantâ possunt vi a falsitate adserant, & pro veritate eorū, veluti pro aris & focis pugnent ac digladientur; usque adeo, ut rem omnem confectam putent, si in isto pugnæ genere palmam referant, & adversarios suos cogant aut succumbere, aut cedere. Quanti ponderis, quanti momenti adserta ista veritas sit, & an necessarium, aut operæ pretium sit propter eam usque adeo infestis animis studijsque concurrere ac dimicare, pensi non habent, ac ne cogitant quidem. Experientiam testem appellamus. Si quis ijs aurem vellat, & mentionem eâ de re injiciat, Videas eas veluti attonitas stare, & si urgeantur, cessim ire, & quanto acrius obluctantur, tantò magis ad incitas redigi, in syrtes ac salebras incidere, ac tandem in ipso, quod dicitur, vado hærere.

Malus sectarum pene omninm mos in defendenda veritate & cōfutandis erroribus.

Atque hoc est unum illud quod præcipuè propositum sibi habuerunt Remonstrantes in Apologia sua ostendere ac demonstrare, non statim præcisè ad salutem necessaria esse ea omnia, quæ vera sunt, & vera esse aliquando non minus fæliciter, quam solidè probantur. Inter necessaria & non necessaria, discrimen fieri volunt, alioquin schismatum, & secessionum, nec modum, nec finem futurum esse. Hinc licet verissima atque imprimis utilia solicitè consectentur eaque amplecti gaudeant, si tamen ea præcisè ad salutem necessaria esse clarè ac solidè non possint deprehendere, propter ea anxiè digladiari, aut litem cuiquam movere, operæ pretium non putant. Suum cuique judicium de ijs liberum relinquunt, & salvis modo rerum ad salutem necessariarum auspicijs, judiciorum

Scopus Remonstrantiū quem in Apologia sua propositum sibi habuerunt.

liber-

libertatem, ac varietatem sine periculo constare posse existimant quin imò hoc uno amuleto contra schismatum, divortiorum & secessionum, tristes sanè ac funestas epilepsias, & quæ ex ijs nasci solent, partium studia atque odia, opus esse; hoc uno tolerantiæ, caritatis ac commiserationis mutuæ beneficio, nec alio, pacem ac concordiam Christianorum redimi posse arbitrantur. Ex quo facile colligere est, eorum scopum nullo modo fuisse, ut ulla dogmata, nedum ea quæ Christianus orbis magno consensu vera esse censuit, convellerent. Nihil minus. Nimis longè hoc ab eorum proposito ac scopo abest. Omnia ista intacta, & suo loco relinquunt. De levibus, & de quibus varia variorum sunt judicia, pro jure ac libertate sua sententiam suam dixerunt: Usque adeo amant pacem ac concordiam Christianorum, ut non necessariæ veritatis scientiam dissimulare malint, quam ex pertinaci ostentatione ejus, velut ex mustaceo, inanem & evanidam gloriæ laureolam quærere. Quod si tamen uspiam quicquam contra communem plurimorum consensum dixerunt scripseruntve, comperietur id non factum, nisi ubi argumenti alicujus, quo principalis veritas labefactari posse videbatur, necessitas eos adegit. Cæterum hoc operam ubique dederunt, ut controversias non necessarias a necessarijs accuratè distinguerent, atque ita non necessarijs litibus ac jurgijs ansam præciderent.

Scopus Remonstrantiũ non fuit ulla dogmata Catholica convellere. Sed tantum non necessaria a necessarijs distinguere.

Atque hoc minimè observatum fuisse a Censoribus, in Apologiâ ..., uti credunt, palam fecerunt; rectène an secus, ut Christianus orbis judicet, non reclamant. Quod idcircò Apologiam Remonstrantium *superbam*, ac *prætumidam*, *stylo non minus aspero, quam petulante adornatam*, vocent, causa nulla est. Asperitatem omnem oderunt Remonstrantes. Petulantiam in rerum divinarum tractatione, tam procul a se esse volunt, quam cœlum abest a terrâ. Ut ἐξάνθημα sive excrementum omne, corporis, ita tumor omnis, animi male-sani indicium est. Nullus in Apologia tumor, nullus typhus, nullus cothurnus est, nullum contra innoxiè errantes atrum ac funestum judicium: Censuram vide: Tumor ubique est & typhus. Ab initio ad finem usque non sonant in eâ, nisi diræ, execrationes, anathemata, & minimus quisque error penè blasphemia aut hæresis est. Hic tumor masculâ oratione veluti fræno opus habebat, ne excresceret, & succum omnem & sanguinem Christianæ caritatis ad se traheret, cum totius Ecclesiæ detrimento ac dispendio. Et hac oratione libera ubique usa est Apologia. Quin & innoxios sales aliquando admiscuit, quibus scabies illa censendi

Sine caussa Apologiam Remonstrantium superbam ac prætumidam vocãt Professores.

 defri-

defricaretur, & insulsitati argumentorum occurreretur. Hoc si *tragicum histrionem potius decere quam Theologum* putant Censores næ vehementer errant. Hoc est fibulan imponere ijs, qui amant Tragædias, quod ajunt, in levibus controversijs agere, & ad minimas quasque dissensiones classicum canere, ad arma clamare, & cœlum totum tragico ejulatu implere, non aliter quam si Anniba esset ante portas, aut Græciæ salus periclitaretur.

Et in hoc quidem ordine censeri merentur hi Doctores Academici. Quid enim tam exiguum, tam pusillum, tam minutum est ii Confessione, quod non obelo aut veru aliquo hæreseos seu Socinianæ seu Pelagianæ, seu Semi Pelagianæ, alijsque odiosis nomenclaturis confoderunt atque infamarunt? Tota Confessio non videtur nisi cœnum ac lutum puritati Reformationis inficiendæ, & turbandæ Ecclesiarum paci comportatum. Omnia & singula commata aut infecta sunt, aut affecta erroris aliquâ contagione. Hinc adsiduæ monelæ, solicitæ cautiones, acres invectivæ, & passim grandes atque elaboratæ consequentiæ, ne quis credat aut suspicetu rem levem esse quæ censetur, & ad incudem revocatur: Et jar simulatque Apologia visa ac lecta est, specimen hoc derepentè i lucem dant, in quo videre est omnia, magna, parva, mediocria nu lo discrimine excerpta, & eodem carbone notata, paribusque ca culis damnata esse. Quicquid Socinianæ sententiæ colorem habe id Socinismi obelo transfigunt, & ad damnationem sufficit, hc evicisse. An Socinum autorem habeat sententia, an momentum al quod ad salutem in ea aliter credenda positum sit, susque deque ha bent. Atque hic est scopus, ad quem in Censura sua collinearun & jam iterum collineant Doctores in hoc *Specimine*. Præluser quidam *Excerptor*, aut potius improvidus seu malignus verborū pologiæ *discerptor*. Sed is sibi artes suas, uti olim sæpius, ita & nu malè successisse, non sine pudore & rubore suo compererat ex R sponsione Remonstrantium excerptis istis opposita. Succedu itaque Doctores hi quatuor, veluti succenturiati, *infesto* & infæli isti Rhapsodo, ut rem malè gestam novis curis resarciant, & sim etiam, fidem faciant immanibus criminationibus suis, quibus Ap logiam Remonstrantium ut hæresium & abominationum omniu sentinam in subsellijs, convivijs, officinis, & circulis incæstavera discipulosque suos a lectione ejus, tanquam a præsentissima lue contagione dehortati fuerant. Ac ne sine gravi causa laborem hu indictis auditorio suo ferijs a lectionibus suis, suscepisse videant præfationibus duabus specimen suum munitum voluerunt, ne si

Feltus Hommius.

pr

præjudicio accederet Lector, & ut in ijs *speciretur*, ut Plautus loquitur, quam æger & exulceratus sit eorum in Remonstr: animus. Esto. Nostrarum partium est videre, qua fide, quo jure hoc totum ab ipsis factum sit, & quidem seposito præjudicio & affectibus, qui sinceritatem judicij solent vitiare.

Ac primo quidem loco libellum hunc suum vocant *Specimen calumniarum atque heterodoxarum opinionum ex Remonstr: Apologia excerptarum*. Mali augurij est in principio lapsus. Titulus non respondet operi. *Calumniarum* specimen vocant, cum nullius planè calumniæ specimen in toto opere detur, quod sane magnæ oscitantiæ signum est. Sed id fere quorundam ingenium est, ut de calumnijs conquerantur, & de atroci injuria, si quis paulo acrius incitatus, calumniarum impudentiam, meritissima indignatione retorqueat: Fingunt sibi multâ patientia opus esse, & ut læsæ innocentiæ laudibus innotescant, quicquid audire merebantur criminum, in caput eorum quos oppressos cupiunt, modestissimi homines exonerant. *Fimbriæ* cujusdam insaniam Roma quondam mirata est, qui Qu: Scevolæ per vim a se vulnerato, diem insuper dixit, quod suorum ope se passus defendi, non totum corpore telum recepisset. Huic consimile est ingenium istorum hominum, qui cum totum maledicentiæ & calumniæ virus in alios despumarunt, queruntur non satis patienter sibi præbitum jugulum, nec inermem sinum irruenti patuisse calumniæ, quasi ad calumniæ crimen sufficiat calumnias animosè refellere, & ad noxam satis sit innocentiam suam tueri. De Heterodoxis opinionibus in sequentibus videbitur.

Titulus nō respondet operi. Calumniarū specimen vocant Professores, in quo nullum calumniæ nullius specimen datur.

Deinde, *specimen hoc a se præmitti*, ajunt, *ut hac sua de Remonstr: blasphemijs & absurdis doctrinis præmonitione, veros Christianos docerent, quousque hi mortales*, sic loquuntur, *a verâ fide defecerint, ac porro ut recessuri*. Acris profectò in limine oratio, & quæ nihil modestum spirat. Mirum quod in titulo *Blasphemiarum* nullam mentionem fecerint, ut tantò magis horreret titulus, & Lector a Remonstrantibus abhorreret. Quid atrocius attribui cuiquam potest, quam si non in singulari numero, *blasphemiam*, sed in plurali *blasphemias*, non habere tantum, sed & *docere* dicatur? Notum est quæ pæna blasphemis constituta sit. Quid restat? *I Lictor. manus Remonstr: ligato, caput obnubito, infœlici arbori suspendito.* Ita censuerunt Doctores Academici. Mirum verò quod addunt, *Remon: a verâ fide defecisse*: Si enim per veram fidem intelligunt, fidem illam, quam electis dari semel dicunt, tum dicunt id factum, quod credunt impossibile esse ut fiat. Si per *veram fidem*, doctrinam

Blasphemiarum crimen.

Absurditas criminationis indicatur, qua Doctores asserunt, Remōstrantes a vera fide defecisse & porro defecturos.

veram quæ credi debet, intelligunt, vim accuſationis ſuæ enervant
Quid enim mirum eſt Remonſtr: a verâ fidei doctrina deficere au
defeciſſe? Hoc ſignum eſt eos electorum firma fide a Deo dona
tos nondum aut non eſſe. Commiſeratione ergo non accuſation
digni ſunt ex cauſa iſta. Ut ut ſit, apparet, quam æger ſit eorum
animus, qui veſtibulum ſpeciminis ſui prætexunt tam atroci co
vitio. Sed nos cauſam & fontem videamus quem adſignant.
quo cæperunt pede, in ea prophetandi libertate, quam propriam ſibi vend
cant in poſterum progrediantur. Valdè oderunt Doctores hi liber
tatem prophetandi. At qui aut licentiam quidvis pro arbitrio ſu
faciendi ſibi vendicant, aut tyrannidem moliuntur, ijs libertas fe
ſemper exoſa eſt. Aliud libertas, aliud licentia eſt. Inter abrup
tam contumaciam & deforme obſequium libertas media eſt. E
hanc libertatem ſolam inter prophetantes probant Remonſtr: L
centiam nō minus oderunt, quam Tyrannidem: uti illa nimis laxa
ita hæc nimis adſtringit libertatis fibulam. Cui non libet aut ne
licet in ea quæ ſemel recepta ſunt inquirere, is aut ſervus eſt ali
næ libidinis, aut libertatis hoſtis. Sed nos videamus quam libert
tem prophetandi in Remonſtr: culpent Doctores, ut intelligat
conſequentia Doctorum, quod Remonſtr: porro *a vera fide ſint r*
ceſſuri, ſi in eâ impoſterum progrediantur. *Hæc ſunt* inquiunt, e
rum verba: *Remonſtr: ſimul ac ſemel declarant modum illum agend*
Hoc Socinianum eſt, hoc Pelagianum &c. *non majoris apud ſe pret*
eſſe quam putridum meſpilum, &c. Innoxia hæc eſſe verba & ve
tate ipſa veriora nemo diffitebitur, qui vere Reformatus audi
vult. Quare cum ea *Stylo æquè livido ac protervo* prolata dicunt D
ctores, in eo livori ac proterviæ nimis indulgent, & modeſtiæ l
mites tranſgrediuntur. Occaſio & cauſa qua ea dicta ſunt, a livo
& protervia Remonſtrantes abunde vindicant. Occaſio hæc fu
Author Præfationis in Cenſuram Belgicam, homo, ut videtur, ac
& tetricus, hoc operam ſe cum collegis ſuis in Cenſura dediſſe p
tiſſimum affirmaverat, ut oſtenderet Confeſſionem Remonſtr:
multis admodum gravibus Articulis fundamentum ponere Socinia
hæreſeos & in graviſſimis ad minimum viam ad eas ſternere quâ co
mnio cum illis iniri poſſit. Hunc agendi modum Reformatis Pr
feſſoribus indignum eſſe judicarunt Remonſtr: utpote qui ipſi
lum ut Pontificijs uſitatum ac proprium, pene in omnibus ſcrip
ſuis reſpuere ac damnare ſolent. Nempe, quando cum Luthe
nis aut Pontificijs ipſis res eſt, ægerrimè ferre ſolent, ſi ipſis di
tur, Hoc Manichaicum, hoc Calvinianum, hoc novitium eſt,

Prophetandi libertas, quam Remonſtrantes tuentur, Doctoribus exoſa eſt, & cur.

Expenditur conſequentia hæc, Remonſtrantes a vera fide magis magiſque ſunt receſſuri, quia modum iſtum diſputandi. Hoc Socinianum, Hoc Pelagianum eſt, non probant.

Antonius Walæus.

χθὲς ϗ πρώλω natum, hoc cum hæreticis his aut illis, in Concilijs seu generalibus seu particularibus damnatis convenit. Et meritò. Falsitatis enim κριτήριον non sunt nomina hæreticorum, nec Orthodoxorum, veritatis. Nec humana autoritas quæcunque tandem sit, sufficit ad cujusquam damnationem. Scripturis tantum pugnandum est & rationibus, quæ solæ in auditorio Christi constant. Hæresin non faciunt, nec voces hæreticorum, nec damnationes Conciliorum, sed res, & justæ damnationis causæ quæ ex puris putis Scripturis hauriendæ aut claris rationibus evincendæ sunt. Nimirum hæreticorum nominibus turmatim obruebantur in principio omnes fere Reformati, hodieque adhuc obruuntur. Bellarminus *viginti* antiquas hæreses persequitur, in quibus Reformatos ab antiqua Ecclesia defecisse conatur evincere. Balæum suum Rivetus videat: *Maximam partem veterum hæresium Religione Reformata, veluti equo Troiano contineri, & totam Religionem istam non esse nisi cramben hæresium omnium recoctam* in ipso statim limine libri exprobari sibi suisque non diffitebitur. Luthero impingunt Pontificij *Nestorianismum*; Lutherani Calvino *Arrianismum, Manichæismum* & quod omnia excedit, Pontificij addunt *Turcismum*, & ubique *novitatem*. Hoc Pontificiorum aliorumque cacoëthes acriter ubique taxant & reijciunt Reformati, ut ineptum probationis genus, & Scripturis Divinis injurium: Eadem causa movit Remonst: Videbant apud Reformatos jam passim eundem morem inolescere. Veterum hæresium nominibus magis quam rationibus pugnari. Novitatis argumentum pene inter prima esse, quibus certatur. Hoc unum, tantum non sufficere ad justam culpam & condemnationem. Pelagij & Socini nomina ad hæreseos apodeixin valere. Hunc malum, & jam etiam ante damnatum merito morem, ut de pulmone eorum quasi revellerent, & Scripturis denuo honorem suum adferrent, semel hoc universali pronuntiato utendum sibi putarunt, *modum istum agendi non pluris apud se valere, quam putridum mespilum*; non quia Socini, aut Pelagij, aut ullius alterius hæretici placitis favebant; Absit. Sed ut similibus argumentandi modis januam simul ac semel occluderent, tanquam Reformatione indignis, & qui ad justam probationem non sufficiunt. Nec satis esse, si dicatur, distinctionem faciendam esse inter hæreses. Alias jure, alias injuria hæreses vocari ac censeri, alias meritò, alias immeritò pro hæresibus damnatas esse. Hoc enim ad rem non facit, ut modum eum agendi licitum esse, demonstretur. Sive enim jure, sive injuria damnata sint erronea quorundam placita; æquè tamen ineficax

Quo sensu dictū aliquando sit a Remōstrantibus, modum istum disputandi, Hoc Socinianum est &c. non pluris apud se valere, quam putridum mespilum.

ficax est istud demonstrationis genus: Imo, si modus iste agendi, & demonstrandi ex antegressis damnationibus, semel admittatur, actum & conclamatum est. Iudicium enim illud, si tibi in hac causa indulgeas, cur in alia, imo in eadem contrarium alteri non indulseris? Aut in omnibus controversijs de fide, autoritas humana exulare debet, aut in nullis: aloquin vim argumenti tui elidis, & causæ iugulum præbes adversarijs. Et sanè cum malam istam consuetudinem invalescere sua ætate videbat *Augustinus*, ut Concilia Concilijs opponerentur, & de sententia controversâ judicaretur ex autoribus qui damnati erant in Concilijs, hac ingenua sane ac mascula oratione usus est. *Nec ego Nicœnum, nec tu debes Ariminense tanquam præjudicaturus proferre Concilium. Nec ego hujus, nec tu illius autoritate detineris: Scripturarum autoritatibus, utriusque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet* Atque hoc est illud ipsum, quod dictum voluerunt Remonstrantes & seriò quidem atque acriter, ut malo isti mori remedium adhiberent validum, uti fit in ulceribus, & malis inveteratis, aut altè inhærentibus. Et profectò nisi hoc fixum & firmum maneat, peri[it] Reformationis gloria, Scripturarum majestas violata est, & triumphant Pontificij. Tum, quisque prout volet, vestigia eoru[m] mordicus leget, quos semel Fidei suæ magistros delegerit, & quem damnatum audiet ab ijs, quos sequitur, eum sine ulla terg[i]versatione detestabitur, abominabitur, & fugiet. Hoc est ire qu[a] itur, non quà eundum est, & pecudum in morem sequi antecede[n]tium gregem. Quam hoc noxium sit nemo ignorare potest, q[ui] veritatis studiosus est, & alienę libidinis mancipium fieri detrecta[t]. Uti non est facilè currere ei, qui nimia religione pedes figit in v[e]stigijs alterius, cujus potius debebat celeritatem, & vigorem corpo[]ris optare atque imirari, quam passus numerare: Ita difficillimu[m] est veritatis rectam viam insistere ei, qui non eo progredi audet, [ut] de præceptore suo possit judicare, & gratiam cujuslibet homin[is] conscientiæ suæ posthabere.

Augustini exemplo res illustratur.

Hinc mirum est, cur verba ista Episcopio tributa fol: 19. eju[s]dem Defensionis ægrè ferant. Nam quid in ijs est quod merit[o] culpetur? Eadem pene verba reperias apud Veteres. Verba Au[]gustini vide lib: 3. de Doctrina Christ: loquentis de libro Tycho[n]tis, vel Ticonij Donatistæ. *Quod ideo dicendum putavi, ut liber ip[se] legatur a studiosis, quia multum adjuvat ad Scripturas intelligenda[s]* Ibidem. *Tychontis opus vocat elaboratum & utile.* Et Hieron: Epi[st.] 76. *Ego Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitro[r]* *qu*

Verba Episcopij, verba veterum Patrũ esse ostenditur.

Augustini.

Hieronymi.

quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarem, & nonullos Ecclesiasticos Scriptores, Græcos pariter & Latinos, ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria, juxta Apostolum dicentem, Omnia probate, quod bonum est, tenete. Cæterum qui vel in amorem ejus nimium, vel in odium stomachi sui pravitate ducuntur, videntur mihi illi maledicto Prophetico subjacere, Væ ijs, qui dicunt bonum, malum, & malum, bonum, qui faciunt amarum dulce, & dulce, amarum. Nec enim propter doctrinam ejus prava suscipienda sunt dogmata, aut propter dogmatum pravitatem, si quos commentarios in Scripturas S. utiles, edidit, penitus respuendi sunt. Quod si contentiosum inter se amatores ejus, & obtrectatores funem duxerint, ut nihil medium appetant, aut servent modum, sed totum aut probent, aut improbent, libentius piam rusticitatem, quam doctam blasphemiam eligam. Similia habet Hormisda ipse Romanus Pontifex de libris Fausti requisitus. *Neque ille, neque quisquam eorum, quos in autoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut Ecclesiasticæ disciplinæ ambiguitatem potest gignere, aut religiosis præjudicium comparare. Si quis cum fide recta, & doctrina sana concordat, admittitur, si discordat, aboletur. Unum est fundamentum extra quod, qualibet fabrica, si consurgit, infirma est, super illud quisquis ædificat, seu vilia, seu pretiosa, consistet. Errat autem a via, qui ab eo, quod Patrum electio monstravit, exorbitat, nec tamen improbatur diligentia per multa discurrens, sed animus a veritate declinans; sæpè de his necessaria providetur, de quibus ipsi æmuli convincantur, instructio. Nec ratio dari potest, nosse quod fugias, atque ideo non legentes incongrua in culpam veniunt, sed sequentes. Quod si ita non esset, nunquam doctor ille sententiã acquievisset nunciare fidelibus, Omnia autem probate, quod bonum est, retinete.* Hinc *Maldonatus* Iesuita non dubitat in Com: suo in Math. 8. scribere: *Autor, operis imperfecti secundũ Matthæum hæreticus erat Arrianus, quem non citaremus, nisi & autoritas, & eruditio, & subtilitas interpretandi, autoritatem ei tribuisset. Quo consilio Tertullianum, & alios, quos hæreticos esse scimus, sæpè citamus.*

Quin & ipsius Hormisdæ Romani Pontificis.

Et Maldonatĩ Iesuitæ.

Addunt Doctores. Quibus similia aut etiam arrogantiora extant Apologia ipsorum pag: 11. B. *Tanti*, inquiunt, *est Remonstrantis manifesta veritas, ut susque habeant, sive Socini, sive Serveti, sive Arrij, sive Pelagij, sive alterius exosissimi hominis nomen præscribatur, aut genium ejus aut spiritum redolere dicatur.* Ejusdem farinæ hoc est cum præcedentibus. Ne ipse quidem Momus inveniet hic, quod jure reprehendat. De manifestâ veritate loquuntur Remonstrantes disertè. Qui eam respuit, quia eam prolatam videt ab ijs, quorum nomina exosa sunt, næ is manifestum facit, quam parum ei veritas

Prudentes non terrentur vocibus hæreticorum sed hæresibus.

placeat. Manifesta veritas non depreciatur invisis nominibus. Prudentes non terrentur vocibus hæreticorum sed hæresibus. Nemo unquam quicquam bonæ frugis edet in ulla scientia, qui non eo adspirare audet, ut non a quo, sed quid dicatur, consideret. Veritas pretium non accipit nisi a seipsa. Ipsa sibi precium est. Hinc rectè olim dictu est, *Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas.*

Ex hisce ita generatim enuntiatis, & sua luce claris, hanc odiosam eliciunt conclusionem Doctores. *Præcedentia itaque prioris ac melioris Christianismi adversus Socinianos judicia non sunt in majore apud ipsos pretio, quam putridum mespilum.* At quis hic non videt manifestum paralogismum, vel ignorationem Elenchi Doctoribus Academicis indignum? Remonstr: ad dijudicationem veri a falso referre non putant, quis ejus quod manifestè verum est autor sit, sive veritati non præjudicare autorem, quocunque nomine niger sit. Ergo prioris & purioris Christianismi judicia non majoris faciunt, quam putridum mespelum. Confundatur in mortario hæc consequentia, ne gutta quidem verisimilitudinis inde elicietur. Imo contrarium inde efficietur irrefragabiliter. Ergò prioris & purioris Christianismi judicia eo ipso quia purioris Christianismi judicia sunt, ambabus manibus amplectentur. Sed hoc hic non agitur. De modo isto agendi, de quo supra, quæritur: Iudicavit Reformatus Christianismus de erroribus aut hæresibus Pelagij ac Socini. At modum istum agendi, ut Socini ac Pelagij nominibus, etiam verissima deprecientur, nunquam probavit. Quin imo prioris ac purioris Christianismi judicia, idcirco purioris Christianismi judicia censita omni ævo fuerunt, quia dogmata quæ damnavit, primò comperit esse falsa, quam nomina autoresque damnavit. Tertullianus Praxean symbolo ipso premere nolebat, *Ne perversitas*, inqait, *videatur non examinata sed præjudicata damnari.* Et Augustinus pulcherrimè contra Epist: Fund: Cap: 3. Manichæos sic alloquitur, *ut autem facilius* mitescatis *& non inimico animo vobisque perniciosо mihi adversemini, quovis judice me impetrare a vobis oportet, ut ex utraque parte omnis arrogantia deponatur. Nemo nostrum dicat, jam se invenisse veritatem: Sic eam quæramus, quasi ab utrisque nesciatur. Ita enim diligenter & concorditer quæri poterit, si nulla temeraria præsumtione inventa esse & cognita credatur. Aut si & hoc a vobis impetrare non possumus, saltem illud concedite, ut vos tanquam incognitos nunc primum audiam, nunc primum discutiam. Iustum puto esse quod postulo, hac sane lege servata, ut vobiscum non orem, non conventicula celebrem, non Manichæi nomen accipiam, si non mihi de omnibus rebus*

Paralogismus Doctorum.

bus ad salutẽ animæ pertinentibus sine ulla caligine rationem perspicuam dederitis. Unde nec censeri possunt discipuli purioris Christianismi, ij, qui in judicando non sequuntur ejus vestigia, sed nomina autoresque damnant, prius quam dogmata ac placita eorum falsa ac damnanda esse, solidis argumentis, aut manifestæ veritatis vi persuasi sunt: hoc enim est, non rem, sed nomina damnare, & non insistere vestigijs purioris, sed spurij ac nothi Christianismi. Simile est quod subijciunt: *Nulla consensus Ecclesiarum Reformatarum ratio, quarum tamen membra semper esse voluerunt, apud eos amplius habetur.* Hoc est a janua, quod dicitur, aberrare. Verba Remonstrantium ne quidem loquuntur de consensu, & si omnino de eo loquerentur, tamen non loqui ea censendum esset, de consensu, quoad rem, in qua consensio est, sed quatenus consensio ut medium seu argumentum adhibetur ad persuadendum veritatem, aut ad similem damnationem conscientiam obligans. An, videlicet, illius sic habenda sit ratio, ut idcirco damnari debeat sententia aliqua, quia ab illis, qui Reformatarum Ecclesiarum nomine veniunt, consentientibus calculis damnata est: Hoc negant Remonstrantes, & eos qui istum agendi modum probant, Reformationi scandalo ac probro esse contendunt, nec posse propius redire ad damnatum a Reformatis omnibus Ecclesijs, Pontificiorum axioma, quam istâ agendi via. Quid enim? Si consensus istius ratio sic habenda est, ut propter eum damnatio facienda sit, doceant ergo Doctores, quid inter ipsos & Pontificios, hanc rem quod attinet, sit discriminis:. Aut enim consensionis istius rationem haberi volunt, quia purioris Christianismi, sive Reformatarum Ecclesiarum, qua talium, consensio est; aut consensionis, quatenus simpliciter consensio est. Si isto modo, tum vis argumenti non est in consensione, qua tali, sed in rerum, in quibus est consensio, manifesta veritate. Consensio itaque istis in rebus non majoris est momenti, quam si nulla esset consensio. Manifesta enim veritas etiam nulla consensione adjuta, amplectenda est, & hoc est quod urgent atque inculcant Remonstrantes. Si verò hoc, id est posteriore modo, consensionis rationem haberi volunt Doctores, quatenus consensio per se æstimatur, ut ratio aut medium conscientiam obligans ad subscribendum, Vicerunt ergo Pontificij & actum est de Reformatione. Quare quod interserunt Doctores. *Remonstrantes consensionis istius rationem habere debuisse, id circò quod Reformatarum Ecclesiarum membra semper esse voluerint,* ad rem non facit. Eo ipso enim Reformatas Ecclesias a Reformationis primis fundamentis recedere affirmant, quod modum istum

Refellitur calumnia quod a Remonstran: nulla consensus Ecclesiarũ Reformatarũ ratio habeatur.

iſtum agendi Pontificijs proprium, & quem hactenus μιᾷ ψήφῳ condemnarunt, iterum probent. Atque hoc monere & urgere verorum Eccleſiæ Reformatæ membrorum eſſe credunt. Eſt enim principale Reformationis decus, & fundamentum, quo ſublato eam nutare & collabi neceſſe eſt. Neque tamen rectè quis ex hoc collegerit, Remonſtrantes nullam conſenſionis Eccleſiarum Reformatarum rationem habere. Non ſunt aut tam iniqui, aut tam ingrati ut plurimorum doctorum & piorum ſuffragia vilipendant, aut flocci faciant, nec tam ſaperdæ, aut ſuperbæ impotentiſque arrogantiæ ut ingenio & judicio ſuo tantum applaudant, quaſi qui ſoli in tenebris micent. Abſit. Magnifaciunt aliorum judicia, imprimis ſi ea conſenſione firmata ſint: Modeſtiæ ſuæ vim penè faciant neceſſe eſt cum ab ijs ſeorſim ſentiunt. Suo etiam ſe pede ac modulo metiuntur, & infirmitatis ſuæ conſcientiam ſæpè circumeuntes, auxilia hinc inde quærunt ſuſtentando ingenio ac judicio ſuo.

Nec ignorant neminem adeo ſubacto ad verum omne judicio unquam fuiſſe, aut futurum, quem non ſubinde aut fallere aliquid poſſit, ant fugere. At cum conſenſionis rationem habendam eſſe negant Remonſtrantes, hoc tantum volunt, manifeſtam veritatem, & Scripturarum autoritatem pluris faciendam eſſe, quam Doctorum omnium vel centumviralia ſuffragia, neque cuiquam vitio verti debere, ſi eam quam Scripturis maximè conſentaneam veritatem eſſe, adhibito omni ingenio ac judicio ſuo deprehendit, amplectatur etiamſi totus, ut ita loquamur, orbis refragetur. Hoc enim eſſe fundamentum credunt, quo Pontificiorum axioma, *de Fide*, ut ajunt *implicita, & infallibili judice controverſiarum in terris*, a Reformatis omnibus damnatum, ſolidiſſimè ac funditus labefactatur, & ut ſignificantiſſimè loquantur, ſuppeditatur.

Sarcaſmus Doctorum refellitur & in ipſos retorquetur.

Ex hiſce jam facilè colligere eſt, quid de procace & protervo iſto Sarcaſmo, quem Doctores ſubijciunt verbis præcedentibus ſentiendum ſit, *Illi ſcilicet* (inquiunt) *jam ſoli exiſtunt, qui Adamantes ex omnium Sectarum ſterquilinijs, & Margaritas ex quarumlibet opinionum conchis colligunt. Cuidam Anabaptiſticæ Sectæ nomen eſt Currui ſtercorario, quia ex varijs Anabaptiſtarum Sectis conſtructa eſt. Tales hi ſunt inter omnes Sectas, homines ſanè arrogantes, ſibique mirum in modum placentes ne graviora de ipſis proloquamur.* Quid enim eſt in dictis iſtis Remonſtrantium quod tam acre convitium meretur? Condonari itaque poſſet maledicis his Doctoribus, qui tamen modeſtiam ubique ab alijs requirunt, tam infamis & dentata oratio, ſed publici intereſt, ut quanta cum inſcitia & malignitate

ſit

ſit conjuncta , appareat.

Dixerant Remonſtr: perinde ſibi eſſe, a quocunque verum di-
ſcant, Adamantem ſe, ut Adamantem non rejecturos etiamſi illum
in ſterquilinio reperirent, & Margaritam etiam in vili concha la-
tentem ſuſcepturos. Adamas itaque prius ſit oportet quam eum re-
periant, & ſterquilinium, ij, apud quos eum reperiunt. Poterantne
aut abjectius de libris eorum, qui hæretici vocantur, loqui, aut hu-
milius quicquam ſibi tribuere, quam quod ab ijs etiam verum di-
ſcere ſe velle profiteantur, qui judicio omnium abjectiſſimi haben-
tur? Qui eo uſque ſe demittunt, & tam parum ingenio ſuo fidunt,
ut a viliſſimis & contemtiſſimis etiam velint diſcere, quid ij, quæſo,
ſibi ſuperbè arrogant, aut inſolenter tribuunt: Si quid ſuopte Mar-
te ſe excogitare, aut ex proprio ingenio ſuo ſe haurire gloriaren-
tur, quod nemo alius ante ipſos vidiſſet, ſi domi ſuæ natam ſapien-
tiam, & ſe cornicum omnium oculos induſtria ſua configere jacta-
rent, aut ab alijs reperta ſibi vendicarent, atque ita Pavonum more
otarentur, utique ſpeciem haberet ſarcaſmus Doctorum. At nunc
um profitentur ſe non erubeſcere ex ipſis cloacis ac ſentinis homi-
um veritatē haurire, quid aliud quam ingenij ſui defectum, ſcien-
i deſiderium, & diſcendi verecundiam oſtendunt? Neque vero
rrogantiæ eorum tribui debet, quod adamantes iſtos ſe videre ſibi
erſuadeant, quos alij non vident. Quis enim arrogantem eum vo-
et qui quod ſuis oculis videt, ſe videre ſibi perſuadet? Nemo alie-
is oculis videt, nemo alienis auribus audit. Quiſque ſuis ut credat,
quum eſt. Nimium abjecti animi, nimis ſervilis ingenij eſt, non
pere niſi ad alienum arbitrium. In negotio fidei & conſcientiæ
ıæ Deo probanda eſt, id non turpe modo & deforme, ſed planè
ultum atque illicitum eſt. Cui ſalus ſua cordi eſt, is ſuo proprio
dicio diſcernat neceſſe eſt, quam viam inire debeat, quæ ad ſalu-
m illam æternam ducit. Qui ſecus facit, is ſalutis ſuæ aut prodi-
ıs aut incurioſus eſt. Nec refert, an gnarum an ignarum viæ du-
m ſequatur: Sequitur enim non quia ſequendum eum eſſe con-
ientia ſua dictat, ſed quia ſequi vult, ſecuturus etiamſi per abrup-
& præcipitia viarum duceret. Hoc eſt non hominum more ſe-
ıi, ſed brutorum inſtar, naſo, & ab revincta, quod dicitur, aure, du-
in omnem partem. Qui ita ducuntur, ij brutorum inſtar ſervari
lunt. Sequendum itaque eſt, ubi præit veritas, nec ex ducibus ve-
tas, ſed ex veritate duces æſtimandi ſunt. Nec refert quo nomine
ıt titulo nigri ſint: Nemo faſtidire debet gemmam, eo quod in „
ıfonis capite reperta; aut mel, quod apum ſit ſputum; aut odo- „
ramen-

ramenta, quia beſtiarum ſint retrimenta. Qui hoc culpant, ij ve ſtupidi mortales, vel mortalium arrogantiſſimi cenſeri debent, qu ſe ſolos credunt ſapere, & *ex Academia*, quod dicitur, *venire*, e: quorum nutu atque arbitratu credendum ac vivendum ſit. Major itaque jure vobis reponere poſſent Remonſtrantes verba veſtra, vi ri Clariſſimi; Vos ſcilicet jam ſolos exiſtere, qui omnia ad unguen ſcitis, qui cœlos ſoli digitis veſtris tangitis & jam purpuram, gem mas, adamantes, margaritas, periſtromata, aulæa, totumque ade penu Theologicū penes vos habetis, *ἡ κορυφαῖα τῶν θεολόγων ἀκρό[illegible]*

Vos ſapitis ſoli, reliqui volitant velut umbræ.

Quicquid uſpiam veri, quicquid reformati, quicquid accurati e id a vobis petendum eſt. Nimirum Augiæ ſtabulum repurgaſti ſterquilinia omnia everriſtis, conchas omnes aperuiſtis, angul omnes perreptaſtis, adamantes & uniones omnes collegiſtis. Fl & medulla Theologiæ apud vos eſt: apud cæteros nil niſi fæx & amurca. Dij omnibus omnium adytis exceſſere. Apud vos ſol oracula habitant, & divini ſermonis commercia. Scelus eſt dicer *Et alibi Dij ſunt.* Hæc, inquam, reponere vobis poſſent majori jur & addere, Vos Sectæ iſti Borboritarum non eſſe abſimiles, cui cœno ac luto nomen dederunt Veteres. Nempe omnia veſtra u que adeo vobis placent, ut ſi vel in medijs erroribus, ac ſcelerum ſo dibus vos hærere contingat, aurum tamen ſemper maneatis purg tiſſimum, & onuſti licet fiatis ſordium omnium cœno ac luto, cu rum tamen ſoli vobis trahere videamini floribus & odoribus on nibus fragrantem. Unguentorum omnium odor, ut Plautus ait, p veſtro nautea eſt.

Sed pergamus. *Quales autem margaritas* (inquiunt) *ex Pe gianorum conchis, & quales adamantes ex Socinianorum ſterquilinijs c legerint, hæc pauca excerpta ex parte exhibebunt*, *Pauca*, inquiu Doctores, & *ex parte*, ne omnia adhuc excerpſiſſe, ſed plurima, v luti ſtipulas poſt ſpicilegium reliquiſſe videantur. Hoc malevol rum hominum eſt, ut poſt quam omnia, quæ ſplendida bilis dicta ſolet, probra objecerunt, non omnia tamen objeciſſe, ſed plura a huc ſiluiſſe, credi velint, atque ita ſilentij affectatione pejorem a leum relinquant, quàm apertè convitiando infixerant. Quaſi ve quiſquam adeo væcors aut credulus ſit, ut putet Doctores hos, v ita benignos eſſe in Remonſtrantes, ut cum poſſent, non voluerit vel ita incurioſos hæreticæ pravitatis inquiſitores, ut cum velle non ſtuduerint plura excerpere, ſi plura fuiſſent. Nimis bene de ſentit, qui eos aut per incuriam, aut per gratiam quicquam ina

ma-

madversum præterire voluisse existimat, quod odio omnium in Remonstrantes acuendo facere poterat. Alioquin non excerpsissent tam levia, minuta, & penè nihili. Sed esto. Quo jure hæc dicantur, videbitur, ubi ad excerpta ventum erit; uti etiam quæ deinde addunt Doctores *de abusibus, & inauditis quamplurimorum S. Scripturæ locorum detorsionibus*, ubi ea in lucem prodierint.

Unum præterea considerandum addunt Doctores tanquam mantissam oblonio. Cur, videlicet, hæc excerpta sua cum alijs quoque communicanda esse censuerint, *quia, videlicet, nonnulli in nostris hisce Provincijs reperiuntur, qui Pastores Remonstrantes inter nos tolerari, aptaque ad illos nobiscum conciliandos media etiamnum excogitari posse sentiunt*. Hoc nimirum est quod illos malè habet, ac tantum non medullitus urit, quod videant esse non paucos in Repub: & Ecclesia non minus eruditione, quam prudentia & pietate egregios viros, quibus Dordracenę istę Decisiones, & quę ex ijs nata sunt, intestina dissidia ac divortia displicent, qui de pace & tolerantia mutua consilia agitant. Hoc enim tantundem esse ipsis videtur, ac consilia agitare, de retractando quicquid in Synodo ista actum est, & damnatæ triumphatęque causæ patrocinium præbere. Crimen profectò læsæ Majestatis Dordracenæ, nullis aquis lustralibus expiandum. Hinc consilia ista oderunt ut pestes, utpote propter quæ turbatum a se meminerunt totum Belgium. Attamen, inquies, *Contrarium protestantur, & per se id stetisse, aut stare negant. Nobis*, inquiunt, *nihil profectò gratius foret, quam ut illud effici posset*. Regeri hic possent ipsis verba sua, quibus paulo antè usi sunt, *Protestationes & contestationes quæ factis repugnant, apud sinceros Christianos nullius ponderis momentique sunt*. Sed pressius agamus. Quid aitis Viri Clarissimi? Nihil gratius vobis fore, quam ut effici posset, ut non dicimus Remonstr: sed & Remonstrantium pastores inter vos tolerari possent? φεῦ τῆς ἀναιδείας! Si nihil gratius vobis est, cur itaque eos eo ipso nomine, quod Remonstrantes essent, nec alio, uti Acta probant, non modo damnastis, sed & intolerabiles in Ecclesijs vestris, in Synodo Dordracena pronuntiastis, eosque cætibus ac templis vestris ejecistis? Cur oblata toties consilia mutuæ tolerantiæ præfractè semper respuistis? Cur tot scriptis, tot libellis, tot decretis, statutisque Classicalibus, Synodalibus, tolerantiam Pastorum Remonstrantium impossibilem judicastis? Cur non ita nuper in Synodo vestra Schoonhoviana, notari atque animadverti in eos seriò voluistis qui de tolerantia Pastorum Remonstr: vel auderent hiscere? Et ne fortè hæc multò jam ante a vobis, aut ab alijs sine vestro

Expenditur caussa quę Doctores, movit ut hoc Specimen in lucem darent, ut mutuæ Videlicet tolerantiæ cōsilia & consultores reprimant.

Protestatio Doctorū, qua, a mutuæ tolerantiæ consilijs non abhorrere videri volunt, expenditur & redarguitur.

suffra-

fragio, dicta scripta ac facta esse regeratis, cur in hac ipsa Appendice vestri speciminis apertè declaratis, Remonstrantium doctrinam in quinque, quos vocant, Articulis intolerabilem esse? Sic enim loquimini sub finem pag. penult: *Doctrina quæ in Synodo Dordracena approbata fuit præsentibus plerarumque Ecclesiarum Reformatarum Deputatis, cum rejectione contrariæ sententiæ, anteà quoque ab ijsdem Ecclesijs Reformatis pro necessaria perpetuò fuit agnita ac recepta.* An verisimile est vos seriò loqui, cũ nihil gratius vobis fore dicitis, quam ut pax inter vos & Pastores Remonstr: per mutuam tolerantiam confici possit, & uno pene eodemque spiritu adseritis, sententiam vestram, cum *contrariæ sententiæ rejectione*, esse creditu ad salutem necessariam, & pro necessaria perpetuò fuisse habitã ac receptam? Profectò, si sententiam vestram necessariam esse creditis, quomodo fieri potest, ut gratissima vobis sint consilia ista, quæ de tolerandis istis Pastoribus dantur, qui doctrinam istam vestram Dordracenam, non modò non necessariam, sed falsam etiam, ac noxiam & periculosam esse credunt ac profitentur? Non est tam cæcum aut lippum Belgium nostrum, ut hoc desiderium vestrum larvatum esse non clarè protinus videat. Fortasse dicetis, nihil gratius vobis esse, quam ut pax confici possit, sed ea lege, ut Remonstrantes opinionibus suis renuntient, & judicio vestro Synodico se submittant. Ita profectò credimus vos sentire, Sed eadem lege, repente pacem feceritis cum Iudæo, Turca, & quos Christianorum teterrimos judicatis, Socinianis, quin & eadem lege vobiscum illi pacem e vestigio fecerint. Nimirum pacem vultis videri impensè amare: Nec mirum. Usque adeo gratum est pacis nomen ac studium, ut qui ab ea quammaximè abhorrent, eam tamen impensissimè cupere videri velint, indigni alioquin qui homines, nedum Christiani audiant. Sed quam pacem? quæ vastitiem sequitur, sive ubi Pastoribus Remonstrantibus impositum a vobis est aut æternum silentium, aut anathema, vel si submittere se renuant, æternus carcer, aut æternum exilium. Hæc cum lippis ac tonsoribus nota sint, nihilominus tamen videri vultis nõ alieni a consilijs pacis, & mutuæ tolerantiæ, & persuasum mundo itis, non per vos, sed per Remonstrantes stare, quominus consilia ista ineantur, aut de pace & concordia deliberationes seriæ suscipiantur. Sic enim loquimini. *Sed quicunque hæc nostra excerpta, animo oculoque Christiano intuebitur, is statim id fieri non posse, omnemque ejus spem hac Remonstrantium Apologia omnino ab illis ipsis præscindi, facilè animadvertet.* At in excerptis istis, ea, quæ ad doctrinam illam, quæ in Synodo Dordracena approbata est, pertinent, ex professo

Doctrinam Synodi Dordracenæ de Prædestinatione, ab Ecclesijs Reformatis pro necessaria perpetuo fuisse agnitã ac receptam asserunt Doctores, & tamen mutuæ tolerantiæ cõsilijs favere videri volunt: quo animo?

Exceptio vana diluitur.

fesso præterita sunt a Doctoribus, uti ex titulo constat: Inter excerpta itaque hæc, doctrinam de Prædestinatione comprehensam videri nolunt, sed alia, per quæ factum sit, ut jam fieri non possit conciliatio, & spes omnis mutuæ tolerantiæ decollaverit. Nempe ergo si hæc quæ excerpta sunt, non obstarent, spem pacis ac tolerantiæ reliquam fuisse, credi volunt Doctores. At quis fucum hic non videt manifestarium? Nam posito quod hæc excerpta non essent, maneret nihilominus controversia de Prædestinatione, quam tanti faciunt, ut decisionem ejus prout in Synodo Dordracena facta est, cum contrariæ sententiæ rejectione, necessariam ad salutem, & pro necessaria perpetus agnitam, ac receptam esse in Ecclesijs Reformatis affirment. Hoc si ita est, quæ spes pacis ac concordiæ est, vel illa una controversia superstite? Sed aliud agunt Doctores Academici. Vident se Christiano orbi persuadere non posse sententiam suam, & quicquid hactenus remis velisque adnixi sint, ut eam justam satis ac gravem causam, immanis istius, quæ in Belgio facta est secessionis ac discordiæ fuisse credat, se non modo nihil profecisse, sed prudentioribus, & veritatis simul ac pacis studiosis ea propter invisos, atque exosos redditos esse. Hinc alium colorem quærunt, & excerpta hæc tanquam fascinũ objiciunt oculis omnium, ac si propter ea sola, pacis ac concordiæ consilia prorsus inutilia reddantur ac frustranea. Sed nos videamus, quas explicandæ menti suæ adijciunt rationes, ut speciem justæ criminationis habere videantur.

Prima ratio est. *Non solum*, inquiunt, *quia eodem adhuc arrogantiæ spiritu inflati permanent*. At quo arrogantiæ spiritu? An quod sententiam suam non exuant aut deponant sine causa aut ratione quæ conscientias ipsorum convincit? At hoc levitatis est. An quod rationibus Censorum non statim annuerint, simulatque eas viderunt? At rationibus rationes contrarias opposuerunt, & hoc bonæ conscientiæ est non arrogantiæ signum. An quod ad eas non responderint satis demissè atque humiliter, veluti prostrati ad elephantina Doctorum genua? At hoc fiduciæ est, & bonæ causæ argumentum. An quod judicio suo magis fidant quam totius Synodi Dordracenæ? At alieno judicio in rebus conscientiæ fidere, stultitiæ est & temeritatis: *Iustus sua fide vivet*. Arrogantiæ itaque spiritum cur Remonstantibus tribuant Doctores, causa nulla est. Isto inflati nunquam fuerunt, nec inflati adhuc permanent, parati se demittere, & submittere ad primam quamque rationem, quam veram esse deprehendent, etiamsi eam cerdo aut fullo in trivio, aut olearius in Velabro adferat, nedum si eam a Facultate Theologica

Examinantur rationes, quas prætendunt doctores cur consilia de pace & mutua tolerantia cũ Remonst: ineunda inutilia sint.

Prima ratio Quia eodem arrogantiæ spiritu inflati adhuc permanent.

 adferri

adferri videant. At ſine juſtis rationibus cedere, infirmis validiores opponere, futiles, ineptas, ridiculas in re ſeria contemnere, & qui ijs ad invidiam faciendum tanquam herculeis utuntur, inſcitiæ notare & malevolentiæ arguere, non eſt arrogantium, ſed eorum qui citra perſonarum acceptionem apertam & maſculam veritatis defenſionem amant. Qui hoc ægre ferunt & dicta omnia ſua tanquam oracula ex tripode aut diphtera Iovis profecta cæco adſenſu recipi volunt, aut injuriam ſibi atrocem fieri clamant, ſicubi inſcitiæ aut imperitiæ arguuntur in re manifeſta & maximi momenti, ubi eruditionis ſuæ apicem extare credunt, eos an non væcors arrogantiæ Spiritus agitet ipſi viderint. Secunda ratio eſt. Quia in ſuis *cavillis & convitijs perſeverant.* Hæc ratio indigna eſt reſponſione. Cavillos oderunt animitus Remonſtrantes, & ijs relinquunt qui milium, quod dicitur, terebrant & Thuſca amant jurgia. Convitia tam ſolicite fugiunt, ut cedere malint quam convitiari, certi & perſuaſi ſe propterea cælo proſcriptum iri ex divinæ ſententiæ formula, ſecus quam Doctores hi credunt, qui ea ſaluti ſuæ officere non poſſe perſuaſum habent. Nec dubitabunt culpam agnoſcere & veniam precari, ſicubi aut cavillis aut convitijs a ſe indultum eſſe uſpiam in Apologia demonſtrabitur. Tertia ratio eſt. *Indieſque a Religione Reformata, quam antea nobiſcum profeſſi fuerunt longius recedunt.* Hæc mera larva eſt, quam ſic detrahimus. Religio Reformata Doctoribus his ſignificat aut Religionem totam quæ Reformata eſt, aut Religionem qua parte Reformata eſt. Ab illa Remonſtrantes indies longius recedere, tanquam ſi cum ea commune amplius quicquam habere nolint, non dicent credimus, Cenſores, aut ſi dicant, contra Solem loquentur. Ab hac ſi eos recedere longius indies dicant, tum notandum eſt, Religionem Reformatam quatenus reformata eſt denominari Reformatam poſſe, vel a Reformatione quæ facta eſt circa dogmata & inſtituta creditu neceſſaria; vel ab ea Reformatione quæ circa non neceſſaria facta eſt. Si Doctores hi velint Remonſtrantes indies longius recedere a Reformatione quæ circa neceſſaria ad ſalutẽ dogmata vel inſtituta facta eſt; equidem juſtiſſimam habent cauſſam de pace & concordia deſperandi: Sed ut id probent impoſſibile eſt: Si vero velint eos indies longius recedere a Reformatione, quæ circa non neceſſaria facta eſt, nullam tamen cauſſam juſtam de pace deſperandi idcirco haberent, etiamſi idipſum claris & invictis argumentis evincerent. Etenim a Reformatione circa non neceſſaria recedere nihil habet in ſe culpâ aut criminatione dignum, etiam ſi forte ſine juſtiſſima

Secunda ratio. Quia in ſuis cavillis & convitijs perſeverant.

Tertio ratio. Quia indies a Religione Reformata longius recedunt.

Reformata Religio quo ſenſu ac ſignificatione accipiatur a doctoribus, fuſius ventilatur.

cauſſa

aussa aut per errorem ab illa recederetur, dummodo Reformatio
irca necessaria constanter retineatur, & in reliquis mutua toleran-
a sarta tecta maneat. Enimvero, ea lege Reformatio non est in-
ituta circa omnia seu dogmata seu ritus, ut nulli sive cætui sive
omini, ullo unquam tempore ab ea recedere liceat, aut si recede-
se ab ea profiteatur (jure an injuria jam non quæritur) protinus
Reformatâ Religione recedere eique nuntium remittere judican-
is sit. Hoc enim tantundem foret ac servitutem servitute redime-
, & tyrannidem non fugere sed mutare. Et hinc est quod videa-
us ab ipsis Reformationis incunabulis, salvis necessariæ Refor-
ationis auspicijs, diversa semper fuisse variarum Ecclesiarum &
octorum de dogmatibus & ritibus his illisve judicia: Dissensio-
s istæ liberæ semper fuerunt inter veræ Reformationis & pacis
diosos, incolumi religione & salva pace. Qui verò propter eas
iem contentionis trahere, aut acrius quam Christianæ caritati
est, de ijs altercari & digladiari voluerunt, ij omnes notati sem-
fuerunt a prudentioribus, ut turbones, qui insanam laurum in
clesiam inferrent, & suę potius existimationis quam Christianæ
is patroni essent ac vindices. Dato itaque sed non concesso, Re-
nstrantes nunc in pluribus non necessarijs Religionis Reforma-
dogmatibus aut ritibus, quam antea professi fuerunt, recedere,
la tamen justa caussa aut ratio adhuc esset, eos idcirco tam acri
vitio transfigendi, quod a Reformata Religione longius indies
cedant, aut quod per eos stet, quominus de pace & concordia se-
possit deliberari. Quarta ratio sequitur. *Quod Remonstrantes
gionem Reformatam horrendis suis atque iniquissimis blasphemijs
are omni ope adnitantur.* Ratio hæc ita concepta est, ut dupli-
sensum habere possit. Primus sensus est, ut contineat αὔξησιν
exaggerationem ejus, quod ante dictum fuerat, hoc pacto: Quia
nonstrantes non tantum recedunt longius a Reformata Reli-
ne, sed eam etiam blasphemant, & quidem non una blasphemia,
pluribus, ijsque non levibus, sed horrendis, nec iniquis tantum,
n superlativo gradu, iniquissimis. Sensus profecto qui ipse
est maledicentiæ. Quid enim atrocius concipi aut dici po-
quam quod quis Religionem Reformatam blasphemijs impe-
Notum est quæ pæna blsphemis a Deo constituta sit. Tales
Remonstrantes ex Doctorum horum sententia, Ergo, i iterum
r, & vinci manus, caput obnubito & infelici arbori eos suspen-
, ut ante diximus. Si hic hujus orationis sensus est, agite ergo
tores & probate blasphemias; Alioquin digni estis in quos

Quarta ratio Quod Remonstrantes Religionem Reformatam horrendis suis atque iniquissimis blasphemijs onerare omni ope adnitantur.

 lapis

lapis primus conjiciatur ut falsi manifestos & atrocissimæ calu-niæ reos. Alter sensus est, ut per *blasphemias* intelligantur blasph-mæ consequentiæ, quas ex doctrina Ecclesiarum Reformatarum e Prædestinatione absoluta fluere dicunt Remonstrantes, quas co-sequentias, blasphemas consequentias esse agnoscunt tum ipsi D-ctores tum Remonstrantes, & quas idcirco utrique fugiendas e clamitant. Si hic orationis hujus sensus est, tum necesse ut Doc-res per Reformatam Religionem intelligant Prædestinationem am absolutam; vel si per eam intelligant Religionem totam Ref-matam, tum necesse est ut probent, Remonstrantes eam horren s & iniquissimis blasphemijs suis onerare. Hoc ut probent imp-sibile est. Istud ergo intelligi volunt. Nec dubitandum est, qu hoc sit illud ipsum, quod præcipuè hac oratione significatum vol-runt. Ita enim se res habet; Prædestinatio Doctorum tota ip-rum Reformata fere Religio est. Istam qui convellit, Religio s ipsorum cor, animam & jugulum petit. Ex illo clavo cæteri p e omnes Articuli dependent. Tolle hunc, jacebit tota eorum Th-logia, non aliter quam cadaver & σκελετόν. At tantum abest, Remonstrantes Prædestinationem esse credant Religionem Ref matam, aut eam consequentijs gravibus onerare, credant tantund esse ac Religionem totam Reformatam istis consequentijs onera ut contra credant, eam nil nisi ulcus & apostema esse Religio Reformatæ, quod lue sua pulchritudinem & nitorem ejus deforr ac dehonestat, Eam itaque consequentijs, quæ revera blasphe am in se habent, onerare, tantundem esse credunt, ac Religioni I formatæ pristinum decus sinum adserere, eamque a blasphen istis, quibus jure onerata semper fuit ab adversarijs propter il de Prædestinatione dogma, vindicare. Neque enim Remonstr tes primi sunt, qui istas blasphemas consequentias faciunt. I multis retro sæculis, adeoque ipsius Augustini, qui Prædestinatic istius absolutæ primus author & faber esse creditur, tempore, factæ fuerunt. Nec est ulla fere secta, quæ non easdem & plu gravioresque ex ista sententia fluere palam publiceque, qua v qua scriptis, clamat. Lutherani Deum Calvinianorum Diabol esse publice, scriptis editis contendunt, nec desunt, qui Deum rum Diabolo pejorem faciunt. Quare consequentias, quæ rev blasphemiam in se habent, nō faciunt Remonstrantes primi, sed alijs merito fieri, & factas olim jure agnoscunt: Ac ne tantum decus in Ecclesias & Religionem earum Reformatam redun t hinc est, quod Prædestinationem illam Dordracenam univer

Ref-

eformatarum Ecclesiarum dogma non esse contendant, sed pe-
iliare quorundam Doctorum placitum, quod Reformatæ Religio-
i non præjudicat. Quare viderint Doctores, an non Reforma-
oni toti gravem faciant injuriam, cum, quæ in Prædestinationem
am dicuntur, in Religionem totam Reformatam dici volunt; &
m Remonstrantes blasphemiarum in totam Religionem Refor-
atam postulant, quando Fatalem istam Prædestinationem conse-
ıentijs ijsdem onerant, quibus ab omni retro ævo onerata fuit,
dieque pene ab omnibus Christianorum sectis onerari solet. At
rrendæ sunt, inquiunt Doctores. Non diffitentur id Remonstran-
;, atque idcirco doctrinam istam, unde eæ consequuntur, Religio-
; Reformatæ nomine ac titulo indignam esse ajunt. At *iniquissi-*
; sunt addunt: Hoc verò si probare possunt Doctores, punctum
ınem tulerint, neque Remonstrantibus gratius quicquam fieri
terit, quam si hoc rationibus claris ac solidis evinci videant;
que adeo amant Reformatam Religionem, ut ei attributum
icquam nolint, quod non manifestæ est veritatis, & ad gloriam
formationis pertinere non statim a quovis mentis suæ compote
elligi potest. At quia id hactenus factum non est, mirum pro-
to videri non debet, quod consequentijs illis gravare pergant
ctrinam istam de Prædestinatione, ut sic Religioni Reformatæ
ıuinum suum decus adserant, adversarijs ansam calumniandi
formatas Ecclesias eripiant, & qui a Reformata Religione
›pter horrendam istam doctrinam alieniores sunt, novo ejus a-
re inflamment, atque ita se non inimicos aut hostes, sed patro-
ac vindices veræ Reformationis, & a maculis ac vibicibus istis
urgatæ Religionis esse publicitus testatum faciant. Nec hic
ur ulla justa caussa aut ratio est, cur Doctores adfirment per Re-
nstrantes stare, quo minus de mutua tolerantia & pace delibe-
o possit institui.

Quinta ratio Quia Remonstrantes profitentur, se cum omnibus sectis communionem posse habere, ijs tātum exceptis, quæ idololatriam atque impietatem propugnant.

At nunc quintam & præcipuam caussam videamus quam hic ad-
ıant Doctores, & quæ maximam speciem huic eorum specimini
e videtur. Ea hæc est. *Verum etiam quia ipsimet adeo se nobis*
lunt, ut confiteantur se cum omnibus sectis (ijs tantummodo exceptis,
idololatriam atque impietatem propugnant) imo cum ipsis quoque
nianis (quos totus Christianismus ut teterrimam sectam abomina-
) posse communionem habere. Hic Rhodus est, hic saltus Viri
rissimi. Cedo tabulas; cedo locum. Nec vola nec vestigium tam
dæ tam insulsæ orationis in Apologia Remonstrantium reperie-
, Nec cum *omnibus sectis* communionem se posse colere profi-
tentur,

tentur, nec *eas tantum* excipiunt, quæ *idololatriam atque impietate* *propugnant*, nec *cum Socinianis* eam se inire velle uspiam affirman Propter *meras* (N.B. meras) *opiniones, quibus nulla superstitio, nul idololatria, nulla impietas cohæret* (quod quis non videt quã longe d screpet a verbis his Doctorum, *Exceptis iis tantummodo Sectis qu idololatriam atque* (tolerabilius profecto fuisset, si pro *Atque, A* dixissent, alioquin enim idololatria sufficiens per se secessionis cau sa non esset) *impietatem propugnant*, *hostiliter in partes ire*, pro *m dis merisque* N. B. Sectarum *placitis* pugnare, non aliter quam p vero ac puro Dei cultu (quod sane longe aliud est quam ut Doct res hi loquuntur, *Cum omnibus Sectis communionem colere*) id pr brosum Christiano nomini putant. Hinc neminem *sic* a se dissen tientem (particulam istam *Sic*, in qua emphasis & vis tota sita e primus excerptor pessima fide detruncaverat orationi, uti id in r spons. nostra ad excerpta ista a nobis prolixe demonstrantum est, est, meris tantum opinionibus, quibus nulla superstitio, nulla idol latria, nulla impietas cohæret, a se discrepantem, aut fugiunt aut f gant, si modo piè in Christo & pacificè cum ipsis velit vivere. M ras itaque opiniones & nuda Sectarum placita, *nuda* inquam, su ficere non credunt ad justam secessionem aut faciendam aut fove dam, quæ videlicet, ut postea loquun tur, *Deum & pietatem non l dunt.* Hæc ita generatim dicta quis meritò calumnietur aut s gillet? Eo redeunt, ut intelligatur, Remonstrantium sententiam e se, Schismata omnia, in orbe Christiano injusta atque illicita es quæ propter alia dogmata facta sunt aut fiunt, quam quæ præci ad salutem creditu sunt necessaria. Ejusmodi autem credunt e omnia ista dogmata & placita, quæ in meris tantum opinionib sita sunt, quibus nulla superstitio, nulla idololatria, nulla impiet cohæret, sive quæ Deum & pietatem non lædunt. Hinc *iis*, inqu unt in dedicatoria sua Epistola, *libenter accedimus, qui intra necessar rigidè consistentes, in cæteris veniam dare & petere vicissim amant. Dan nemus* inquiun t in Præfatione sua, *fugiamus, aversemur sectas illa ubi omnia pene licent, præterquam dissentire, ubi fratres & collegæ, levi sima ex caussa, sibi invicem superbis denunciationibus cœlum & infer decernunt:* Quid hic est quod vel ipse Momus possit arrodere? D Socinianis in communionem suam admittendis ne γρὺ quidem u piam in tota Apologia est. Sed de his infra ex professo agetu Addunt, *Sed nullam communionem se habere posse confitentur cum E clesijs nostris Reformatis, quamdiu hæ in recepta sua doctrina persiste decreverint:* Ubi viri Clarissimi? Cedo locum & viceritis: Contr riu

Schismata omnia injusta atque illicita esse credunt Remonstrantes, quæ propter non necessaria dogmata fiunt,

Refellitur calumnia de cõmunione non colenda cum Ecclesijs Reformatis,

tiam tam aperte liquet in Apologia non uno in loco, ut Solis radio scriptum dici possit: Et ratio exceptione omni major fidem huic rei facit; Nam profitentur ubique, Remonstrantes mutuam tolerantiam colere velle cum ijs, qui sententiam istam de Prædestinatione tenent & qui vicissim ipsos tolerare parati sunt: Sententiam itaque istam, licet valde noxiam & periculosam, tolerabilem tamen esse ut fateantur necesse est: Sed fons erroris est, quod Doctores non distinguant inter Ecclesias Reformatas & eas quæ *Calvinistica* a Remonstrantibus vocantur, quę Dordracenæ Synodi placita nuper sanciverunt, id est, quæ veritatem non tantum condemnarunt falsitatis, (id tolerari posset) sed eam etiam intolerabilem in Scholis & Ecclesijs suis, suaque contraria placita, falsa illa ac noxia, in ea necessariò retinenda esse pronunciarunt, & praxin earum crudelem contra innoxiè errantes sive hæreticidium aut probant, aut non improbant. Cum istis, qua talibus, communionem se colere non posse profitentur, ut quæ a primis Reformationis fundamentis desciverunt, & Calvini potius quam primorum Reformatorum vestigijs insistere cæperunt: Sed nec convenit hæc ratio Doctorum, cum antedictis: Nam si seriò credunt, Remonstrantes communionem colere velle cum omnibus Sectis, ijs tantummodo exceptis, quæ idololatriam atque impietatem propugnant, quomodo simul credere possunt, eos cum Ecclesijs Reformatis communionem colere nolle? Nam sic necesse foret ut statuerent, Remonstrantes credere, Ecclesias Reformatas idololatriam atque impietatem propugnare. At unde hoc eos credere vel verisimiliter evincetur? Idololatriam enim ubi tribuunt Remonstrantes Ecclesijs Reformatis? At *impietatis* propugnationem ei tribuunt inquies? Atqui primo Doctores utrumque dicunt a Remonstrantibus simul excipi, Idololatriam *atque* impietatem: Dicent fortasse pro *Atque* ponendum fuisse *Aut:* At tum videant Doctores, quam gravis ista sit calumnia, & quantum cruda, inconsiderata ac præpropera accusatio ista famæ ac caussæ Remonstr: nocuerit. Esto tamen: ubi deinde tribuunt Remonstrantes Ecclesijs Reformatis impietatis propugnationem. Verbum enim illud *propugnandi* valde est emphaticum, & ad exaggerandum invidiam a Doctoribus his usurpatum est, quasi vid, Remonstran: non excipiant nisi omnium pessimos, & qui ad malitiæ apicem pervenerunt, quales sunt ij qui impietatem ipsam propugnant. Dicent fortasse verbum istud *Propugnandi* rigidè accipiendum non esse. At tum rursum considerent Doctores, quam iniquè agant, cum tam odiosis vocabulis utuntur

Distinguitur inter Ecclesias Reformatas qua tales & Ecclesias Calvinisticas, quæ Synodi Dordracenæ placita sanciverunt.

Expenditur inepta & calumniosa Doctorum oratio

D præter

præter eorum propriam ſignificationem, nullo alio fine quam u invidiam augeant & odia in Remonſtrantes acuant. Eſto tamen Tranſeat & hoc: Quis ergo verbi iſtius ſenſus erit, ſi ad Eccleſias Reformatas applicetur? Eas, inquient, dogmata ejuſmodi adſerere, quæ ad impietatem aut ingenerandam aut fovendam in animis hominum potenter valent. Sit ita: At tum Doctores iterum cogitent, an non per iſtam explicationem efficiatur contrarium ejus, quod ante Remonſtrantibus impegerunt, videlicet, Remonſtrantes cum paucis admodum ſectis communionem colere poſſe? Paucæ enim ſectæ ſunt, quæ Doctoribus his non videntur habere dogmata, quæ ad impietatem aut fomenta aut alimenta aliqua ſubminiſtrant. Hæc tamen cum dicunt Remonſtrantes, non dubitant palam profiteri, Se Eccleſias iſtas omnes, quæ innoxiè errantium hominum ſive hæreticorum, quos vocant, perſecutiones & cædem aut probant, aut non apertè improbant, inter eas cenſere, quæ impietatem propugnare dici poſſunt, neque Chriſtiano homini licitum eſſe cum iſtis communionem colere: Animus Chriſtianus purus eſſe debet a piorum & errantium hominum perſecutione cæde ac ſanguine: Nec ſufficit, ut purus ſit animus: Contradicendum eſt tam malo ac noxio dogmati. Qui non contradicit, qui non reclamat, qui tacet, qui diſſimulat, reus eſt innoxij ſanguinis & adfinis eidem culpæ. Quare quamdiu Doctores hi non apertè hoc Diabolicum opus damnabunt, cenſebuntur a Remonſtrantibus impietatem propugnare & digni a quorum communione abſtineant, quotquot Deum amant & ſeria errantium hominum commiſeratione tanguntur. Atque hoc ſi appellant Doctores, *perſiſtere in recepta ſua doctrina*, quæ Remonſtrantium ſententiam intolerabilem pronunciat & hæreticidium etiam aut probat aut non improbat, fatentur Remonſtrantes, ſe cum ipſis communionem colere bona conſcientia nec vellè nec poſſe, quamdiu in ea perſiſtent. At ſi per verba iſta *perſiſtere in doctrina ſua*, non intelligant aliud quid, quam in ſententia illa ſua de Prædeſtinatione manere, & Remonſtrantium ſententiam tolerare nihilominus velle, fatentur ſe cum ipſis, iſtam ſententiam quod attinet, communionem colere & poſſe & ex animo velle, prout antehac ſemper, & in Apologia ſua frequenter ſatis declararunt.

Redarguitur calumnia quod Remonſtrantes penitus condemnent & a ſalute excludant Silentiarios.

Addunt Doctores. *Quid? quod jam fidei conſortes penitus condemnent, qui ſe Eccleſiarum noſtrarum Reformatarum doctrinæ non totis viribus opponunt, eique non reclamant, quique a nobis, qui eam profitemur non longiſſime & citiſſime recedunt, ſed inter nos manentes ab acerba*

noſtro-

nostrorum insectatione se continent. Imo tales servari non posse præmio-que vitæ melioris posthac indignos fore pronunciant. Scilicet

Is vobis labor est, ea cura quietos
Solicitat.

Iam de eorum salute & cœlo soliciti videntur Doctores, quos in terris exautorarunt, civitatibus suis ejecerunt, stipendijs mulctarunt, ad viles operas ne esuriendum miseris esset, ad velabrum, ad aratrum quantum in se fuit protruserunt, & cum uxoribus ac liberis ad infima vota descendere coëgerunt: Sed loca videantur, viri ἐλεήμονες & misericordes. Nuspiam quicquam dictum reperietis in eos, qui *Ecclesiarum Reformatarum doctrinæ non totis viribus se opponunt, eique non reclamant,* sed in eos tantum, qui cum persuasi sint de doctrinæ vestræ falsitate, & actionum vestrarum crudelitate, de illegitimis & iniquis vestris judicijs, nihilominus spe lucelli aut stipendioli se adduci passi sunt, ut ad signa vestra redirent, Canonibus vestris subscriberent, atque ita Sacramento, Christo & veritati ejus semel dicto apertè renunciarent, id est, uti hic loquimini, *inter vos manentes, ita se gererent acsi sententiam & actiones vestras, quas antea damnaverant denuò approbarent,* & non contenti ab acerba vestrorum insectatione se continere, in Remonstrantium studia actionesque seu datâ, seu captatâ occasione, quasi mutata velificatione inveherentur & insurgerent. In hos stipendiarios vestros & ῥιψασπίδας dictum voluerunt quicquid dixerunt Remonstrantes. Cæteros qui Actis silentij simpliciter subscripserunt, atque interim se communionem cum Remonstrantibus colere velle professi semper sunt, qui cætibus eorum aut faverunt aut adhæserunt, qui consilijs studijsque suis qua potuerunt fratres juverunt, conscientiam suam sibi habere permiserunt, quanquã rectius eos facturos semper crediderunt atque etiamnum credunt, si cum ipsis non communi tantum professione, sed malorum etiam eorundem tolerantia se junxissent. Non damnant eos, sed amant uti infirmos fratres, imprimis qui a maledicis & sanguinarijs vestris cætibus se continuerunt, silentijque sui promissum ultra publici ministerij, & quę ex eo dependent, functionem, non extenderunt. Tantum abest ut eos servari non posse, præmioque vitæ melioris posthac indignos pronunciaverint. De ijs id tantum dixerunt, qui spe favoris vestri, aut stipendij aut lucelli alicujus inescari passi se erant aut in posterum paterentur, ut aut

 sile-

silerent, aut Canonibus vestris subscriberent. Tales utique indign[i] sunt qui Christo serviant, aut stipendium melioris vitæ sub eo faciant, quibus *tam prodigiosum silentij promissum* placere potest. Quo[d] si tamen quædam in priores aliquando acerbius dicta aut scripta esse comperientur, ea in calore & æstu illo persecutionum, quo animandi erant fideles, & scrupuli qui infirmorum conscientijs ab exemplo eorum subinde infigebantur, eximendi erant, excidisse potius per Zelum, quam composita mente meditata videri debent. Tum proprio ac privato cujusq; ingenio ac judicio condonari multa debent. Fieri enim fere solet, ut dum quis pro conscientia sua rationes optimas & gravissimas militare credit, imprimis in arduis & magni momenti negotijs, in eam facile cogitationem incidat, ut alienæ conscientiæ a se dissidenti, rationem nullam subesse sibi persuadeat, etiamsi certum sit conscientiæ ejus subesse posse rationes, quas nemo præter ipsum novit, aut, si quis alius norit, approbare non potest. En itaque adsertam hic tolerantiam, quam hactenus semper & ubique urserunt Remonstrantes, contra hanc importunam Doctorum criminationem.

Subijciunt Doctores hæc sequentia. *Nostras vero Ecclesias quod attinet, illæ suæ quam profitentur doctrinæ constanter debent adhærere, eique tam diu aspirante Dei gratia adhærebunt, quamdiu ab alijs Ecclesijs Reformatis & orthodoxis, atque imprimis a perspicuo & puro Dei verbo divortium facere nefas duxerint.* Esto fiat: At quærere hic libet quorsum hic addant Doctores illud *imprimis*, quod vid: Ecclesiæ eorum adhærebunt doctrinæ illi, quam profitentur, quamdiu *imprimis* a perspicuo & puro Dei verbo non discedent. Hoc enim posterius solum dicendum fuerat. Nec Ecclesiæ ullæ, orthodoxæ Ecclesiæ esse possunt, nisi perspicuo & puro Dei verbo adhæreant, & ei non adhærere nefas ducant. Profecto hæc loquendi ratio quę jam Doctoribus his trita & familiaris esse cœpit, Pontificij fermenti non parum redolet. Quasi nefas sit divortium facere ab Ecclesijs Reformatis aliam ob caussam, quam quod perspicuo & puro Dei verbo non adhæreant. Dicent fortasse, se id intelligere eo sensu, quod Ecclesiæ ipsorum adhæsuræ sint sententiæ isti quam profitentur, quamdiu a perspicuo & puro Dei verbo divortium facere nefas duxerint, etiamsi nullæ Ecclesię Reformatę aut orthodoxę essent. Sed frustra, Ecclesijs enim orthodoxis adhærere nihil aliud dicit quam perspicuo & puro Dei verbo adhærere. Nec Ecclesiarum orthodoxarum consensio cum doctrina ista, quam profitentur Ecclesiæ quibus Doctores adhærent, quicquam singulare in se continet,

Expenditur inepta Doctorum locutio.

tinet, propter quod divortium ab ijs faciendum non ſit, niſi quatenus conſenſio iſta eſt cum perſpicuo & puro Dei verbo. Sed hæc oratio, uti jam ante diximus, fere eorum eſt, qui ſententiæ ſuæ præſidium quærunt, non modo ex cauſſæ quam defendunt veritate & merito, ſed ex conſenſione quaſi ex peculiari & ſingulari aliquo fundamento, quod fulciendæ & ſuſtentandæ cauſſæ aptum ſit. Sed videamus quæ porro ſequuntur. *Blaſphemæ conſequentiæ, quibus ſuas adſertiones fulciunt, noſtramque de æterna Dei electione doctrinam in his quoque excerptis gravare non dubitant, a nobis refutatæ jam ſæpe fuerunt.* Duo hic manifeſtè abſurda ac falſa dicuntur. *Primum*, Remonſtrantes blaſphemis conſequentijs adſertiones ſuas fulcire. *Secundum*, Eos blaſphemis conſequentijs doctrinam horum Doctorum de æterna Dei electione gravare. Utrumque patet. Blaſphemæ conſequentiæ, quas Remonſtrantes adferunt, non fulciunt adſertiones Remonſtrantium, ſed Doctorum adſertiones falſi ſuſpectas faciunt. Enimvero non ſequitur, Conſequentiæ iſtæ deſtruunt adſertiones Doctorum, ergo fulciunt adſertiones Remonſtrantium. Falſum deſtrui poteſt etiam ab eo, qui aliud non minus falſum tuetur. Deinde, Remonſtrantes nuſpiam doctrinam Doctorum de *æterna Dei electione*, blaſphemis conſequentijs gravant. Conſequentiæ blaſphemæ *Reprobationis* caput ſpectant, non electionis. Nec enim blaſphemia in eo ulla eſſe poteſt, ſi quis Deo tribuat, quod aliquos abſolutè eligat, irriſiſtibiliter regeneret, æternum ſalvet, etiamſi cum illud Deo tribuit, ei tribuat id, quod falſum eſt. Aliud enim eſt falſum aliquid Deo tribuere, aliud blaſphemum. At non falſitas tantum, ſed blaſphemiæ in Deum manifeſtæ ex eo conſequuntur, ſi quis Deo tribuat, quod abſoluta voluntate aliquos, imo maximam generis humani partem, vel plane innoxiam, vel nulla ſua propria culpa noxę ream, æternis cruciatibus Gehennæ deſtinet, deſtinatam neceſſitati peccandi adſtringat, adſtrictam per ſpeciem benevolentiæ ad ſalutem vocet, ſed vocatione prorſus inefficace atque inutili, vocatam induret, induratã in æternos atque ineffabiles animæ ac corporis cruciatus præcipitet: Ex his neceſſariò atque immediatè fluunt hæ blaſphemæ conſequentiæ, Deum oſorem eſſe creaturarum ſuarum, Tyranno quovis crudeliorem, ſimulatorem & hypocritam, & quod omnium indigniſſimum eſt, Deum eſſe verum, proprium atque unicum peccati & perditionis authorem. Magno ingenio aut cura opus non eſt, ut hæ conſequentiæ fiant, aut ut earum vis atque neceſſitas intelligatur. Prima ſtatim fronte apparet, quam ſint veræ & manifeſtæ.

Calumnia. De blaſphemis Conſequentijs.

Blaſphemæ conſequentiæ Reprobationis caput ſpectant non Electionis.

 Non

Non necesse habet convinci quod sua statim professione blasphemum est inquiebat olim Hieronymus. *Sententias vestras prodidisse, superass est.* Et hæc caussa est cur hoc Reprobationis caput callidè sempe dissimulent Doctores, & quæ cunque contra ipsos dicuntur, contr electionis divinæ caput dirigi clament. Nimirum tam suavis, tan grata tam dulcis est gratiosæ & impromeritæ istius electionis ap prehensio, ut dulcedine ejus amarorem omnem horrendæ atqu atræ istius de Reprobatione cogitationis dilui posse ac debere exi stiment. Hinc incautas & Reprobationis istius horrore turbata hominum mentes, isto veluti poppysmo demulcent, cum tamei Electionem paucorum tantum hominum beneficium esse credi ve lint: Ac ne istius etiam cogitationis asperitas eos offendat, adder solent, Cujuslibet, sine discrimine, esse, sibi persuadere, se electun esse, & qui id fortiter sibi persuasum it, eum ad electorum classen & familiam pertinere. At hæc manifesta incautæ plebis ludibri esse jam fabri ac sutores norunt: ut ut sit, certum est, blasphema istas consequentias non ex capite de æterna electione, sed ex capi te de absoluta Reprobatione, quæ electioni isti semper conjunct esse dicitur, colligi ac deduci. Neque tamen existimandum id circo est, immeritò a Remonstrantibus sententiam Doctorum d absoluta ista electione falsitatis redargui aut absurditatibus varij gravari. Absurditates enim istæ non statim blasphemæ conse quentiæ sunt. Ad eas quid in Responsione sua ad Apologiam d cturi sint Doctores, tempus docebit. Quę hactenus ab ijs dicta a responsa sunt, ea tantum abest ut satis fecerint animis Remonstran tium, ut non dubitent profiteri, se per illa ipsa in sententia sua con firmatiores factos esse. *At* inquiunt Doctores *ea ipsa consequen tiæ semet ipsas apud omnium æquorum Christianorũ animos jamdudun refutarunt.* Credat hoc qui volet aut cui mens læva est. Certe e ratione subjuncta a Doctoribus, satis liquet, nihil minus quam ho verisimile esse. Ratio eorum hæc est, *Nullam enim electioner ad vitam æternam statuimus præter illam, qua ad eandem vitam pe fidei obedientiam & studium pietatis deducimur.* At hæc ratio seip sam refutat, ut jam alia non dicamus. Manifestam enim habet con tradictionem in adjecto, dicere, Eligi ad vitam, & ad vitam de duci per fidei obedientiam. Electio enim ad vitam peremtoria est & non potest sibi habere subordinatam aliam gratiam, qua dedu ctio ad vitam istam fiat, quam irresistibilem sive determinantem Congruam enim, ut Scholasticorum commentum & liberi arbitri fundamentum, reijciunt Doctores. Gratiæ autem irresistibilis ope ratic

Ratio Doctorum contradictionem habet in adiecto.

ratio & fidei obedientia prorſus ſunt incompatibilia. Qui non poteſt non obedire is non obedit niſi materialiter. Qui non poteſt nolle, non poteſt dici velle ex Iuriſconſultorum regula. Nec laudem obedientiæ, nec labem inobedientiæ, nec pietatis elogium nec mpietatis culpam habet, quicquid aliter fieri non poteſt. Tum, gratiæ iſtius operatio, cum præceptionibus pæna ac præmio ſancitis, quibus obedientia reſpondet, non magis conciliari poteſt quam gnis cum aqua: Loca quæ probandæ ſuæ opinioni pro more ſuo uda citant Doctores, ex Epiſt: ad Rom: 8.29. Epheſ: 1.4. Rom: 1. 7. non facere ad rem adeo prolixè in Apologia Remonſtrantium demonſtratum eſt, ut verbum addere non ſit neceſſe. *At evincunt tamen*, inquies, *Deum neminem ad vitam æternam elegiſſe quem non ſimul ad ſanctitatē & juſtitiam elegerit*: Imo verò idcirco quia electionem iſtam ad vitam præciſè ac nominatim factam volunt Doctores (quod loca nullo modo evincunt, ſed plane contrarium) fieri non poteſt, ut credant, electionē ad ſanctitatem & juſtitiam aliam ſubordinatam eſſe, quam quæ irreſiſtibilem gratiæ operationem onjunctam ſibi habet: At hoc ipſum eſt ſanctitatis & juſtitiæ præcepta comminationibus & promiſſis ſancita tollere, & ſanctitatis juſtitiæ ſtudium hominum animis expectorare: Nec Deus ſeriò poteſt præcipere ſanctitatis ac pietatis ſtudium electis iſtis cum pœnarum æternarum comminatione, cum ipſe illud vi irreſiſtibili in ſis velit efficere, & pœnas æternas infligere nec velit nec poſſit vel. Neque neceſſe eſt ut electi iſti de ſtudio pietatis ac juſtitiæ ſolliciti ſint, cum certum ſit Deum id in ipſis operaturum quando volet, & tandiu non velle quandiu non ſentiunt iſtam operationem: que hoc ipſum ita eſſe, fatentur hic ipſi Doctores, cum ſubijciunt rba hæc. *Tantum abeſſe ut electio, prout ab ipſis docetur, ipſam pietem enervet, ut nulla è contrario pietas abſque ejuſmodi electione atque icace Dei operatione illam conſequente, in mundo exiſtat, aut unquam periri poſſit.* Nulli ergo pij ſunt in mundo niſi electi iſti Iovis filij: ulli alij pij eſſe poſſunt. Nulli homines poſſunt pij fieri niſi per icacem iſtam operationem: & qui electi fiunt, ij pij ſunt ac non ſſunt non pij fieri, ſimulatque efficax iſta operatio, vel in extremo tæ articulo, adeſt. Quam hæc ſint inepta & futilia non eſt hujus ci demonſtrare. Id tantum dicimus, qui hæc cum præceptis pietis, cum officio hominis, cum comminationibus divinis, cum promiſſis præmiorum conciliari poſſe credit, næ is quidvis facile, licet ſurdiſſimum, perſuaderi ſibi ſinet, vel ſi album atrum & nivem cem dixeris.

Quod

Ostenditur falsum esse, Ab ipsis Apostolorum temporibus fuisse primarios atque eximios absolutæ Prædestinationis assertores & insignes eorū Ecclesias.

Quod subjiciunt Doctores: *Ab ipsis Apostolorum temporibus fuisse primarios atque eximios doctrinæ suæ assertores, insignesque eorum Ecclesias*, id si non apertè falsum, tamen valde incertum est. Si qui fuerunt, ij pauci admodum fuerunt, ijque omnes in obscuro,

Vix totidem, quot
Thebarum portæ vel divitis ostia Nili.

Percurrantur primorum quatuor seculorum scriptores; non modo non Ecclesiæ, nedum insignes ullæ Ecclesiæ, sed vix unus Scriptor reperietur, qui vel vestigium istius doctrinæ reliquerit. Omnes unanimiter pro Liberi arbitrij parte steterunt & fatalitatem illam damnarunt. Nec diffitentur id Doctores Reformati: Philippus Melanthon disertis verbis & universaliter adfirmat in 9. cap: ad Rom: *Scriptores veteres omnes, præter unum Augustinum, putasse aliquam caussam electionis in nobis esse.* Calvinus lib: 2. Inst: cap: 2. sect: 14 ait, *Multos veterum longè plus æquo Philosophis accessisse & Scripturæ doctrinam cum Philosophiæ dogmatibus dimidia ex parte conciliare studuisse*, & postea, *Nimis Philosophicè hac de re loquuti sunt, qui se Christi jactabant discipulos.* Taxat deinde Latinos, apud quos *Liberi arbitrij* nomen semper in usu fuisse ait, & postea Græcos Patres quippe *quos non puduit*, inquit, *multo arrogantius vocabulum usurpare* sc: τὸ αὐτεξούσιον. Alij primos istos Patres disertè Pelagio favisse asserunt. Alij eos re ipsa, alij phrasibus πελαγιανίζοντας faciunt. Nec desunt, qui eos Semi-Pelagianismi postulant. Quicquid sit, certum est ante Augustinum nullos primarios (ut Doctores hi loquuntur) atque eximios sententiæ istius adsertores extitisse, nedum ut insignes eorum Ecclesiæ adduci possint, in quibus doctrina ista Prædestinationis sive electionis absolutæ (quid dico reprobationis?) tradita atque defensa fuit. Quare ut Doctores cum Augustino sentire dicant, per Remonstrantes licet. Apud Remonst: prior & purior Antiquitas longe Augustino præponderat. Itaque libenter semper pro ea parte stabunt, quæ gratiæ divinæ necessitatem, & simul officij nostri debitum propugnat, ut desperationi contra debilitatem arbitrij & securitati contra gratiæ illam, quam D.D. fingunt irresistibilem efficacitatem, januam occludant. Atque hæc ad præfationem Doctorum breviter dicta sunto.

Et repugnat apertæ confessioni præcipuorum Reformatorum.

Respon

RESPONSIO
ad
CATALOGVM,
PRIMVM, SEV,

Specimen calumniarum atque heterodoxarum opinionum ex Remonſtrantium Apologia

Excerptarum, & cum libello, cui titulus eſt de pace & concordia Eccleſiæ, collatarum.

AD rem ipſam accedimus & Areopagitarum in morem ἄνευ προοιμίου καὶ πάθων: Conferuntur in principio, *calumniæ atque heterodoxæ opiniones ex Apologia Remonſtrantium excerptæ* (ſic loquuntur Doctores) cum *libello* cui titulus eſt *de Pace & Concordia Eccleſiæ*. Operæpretium hic eſt indicare, quid Doctores moverit ut hanc collationem in veſtibulo ſpeciminis ſui faciant. Eſt enim res inſolens, nova, Reformatis ſane Doctoribus indigna, & veritatis ſtudioſis ſuſpecta, ex collatione ſcriptorum de veritate aut falſitate judicium facere. Infirma cauſſa eſſe creditur, quæ tali præſidio defenditur & tam caduco fulcro innititur: Et qui iſto utuntur, ij præjudicijs magis quam rationibus pugnare judicantur. Quid enim ad rem facit, ſive ſententia aliqua cum hoc ſcriptore aut illo congruat, ſive ab illo diſcrepet? Veritas ſua vi con

Occaſio hujus collationis indicatur.

constat & falsitas per illam revincenda est, sive hunc sive illum authorem habeat. Sed iste malus mos jam usque adeo inolevit inter Reformatos, pudendo sane ac pœnitendo omnibus veri studiosis exemplo, pene ut exstirpari non possit. Sed & alia caussa est, quæ potissimum Doctores hos movit ut hanc viam inirent: Nimirum libelli hujus qui anomymi autoris titulo An: 1628. in Hollandia prodijt, autores fecerant Remonstrantes ac nominatim *M. Episcopium*, tanto cum Zelo & fiducia, ut id Rectoribus Patriæ nostræ ipsique adeo Illustrissimo Principi Auranciæ persuasum esse voluerint. Et jam fama ejus rei usque adeo apud summos imosque invaluerat, ut dubitare de ea re vix liceret. At res e vestigio docuit eam falsam plane ac commentitiam esse, autoremque ejus non modo Episcopium non esse, nec Remonstrantium ullum, sed libellũ istum inscijs ipsis scriptum atque editum esse. Et fides facta fuit documentis omni exceptione majoribus. Ea res pudorem dedit & fibulam imposuit effræni ac præcipiti Theologorum linguæ, quod tam manifesta calumnia Remonstrantes gravassent & procerum aures simul ac animos occupassent. Iam scripta erat & elaborata Apologia antequam aut de libello isto aut de autore ejus cuiquam Remonstrantium quicquam vel minimum innotuisset. Hæc res febris fuit Doctoribus. Itaque ne plane calumniæ manifesti teneantur, novo paroxysmo concitati, alia via fidem ei facere tentant: Nempe ex libello isto excerpunt, quæ ad amussim convenire dicunt, cum ijs, quæ Apologia Remonstrantium continentur, ut ex rerum similitudine suspicionem de autoribus firment. Sic quod recta non possunt, obliqua via & mutata quasi velificatione consequi student. Esto. Æger & malignus animus licet deprehensus contumax fere esse solet & pertinaciam pro caussa induere. Nos quo jure nitantur, & quæ ac quomodo singula conferant, impræsentiarum expendemus.

Duo sunt inquiunt *quæ in libello isto passim inculcantur, & quibus eadem plane dicunt Remonstrantes in Apologia sua.*

Tria præmonentur quæ cõsequentiam Doctorum infirmam ac vanam esse ostẽdunt.

At primo antequam duo ista videamus & singula inter se conferamus, tria præmonenda veniunt. *Primum* est, Posito quod hæc ita revera se habeant, nullo tamen jure Remonstrantibus tribui posse, quod libelli istius instar in Apologia sua secuti sint, quippe qui ignorabant eum in rerum natura esse. *Secundum* est, multo minori jure ijs tribui posse, quod scopum eundem cum autore libelli

istius

istius habuerint: Scopus enim libelli istius fuisse videtur, Ostendere, Socinianos nullo jure ex albo Christianorum aut salvandorum expungi, propter ea quæ statuunt ac defendunt propria Sectæ suæ placita, prout disertis verbis id in libello legere est. At de Socinianis eorumque placitis eo loco habendis in Apologia Remonstrantium ne γρῦ quidem est, nedum ut id demonstrare pro scopo suo habuerint. *Tertium* est. Ex ipsa Remonstrantium Apologia patere, vel ipsis Doctoribus apertè fatentibus, Remonstrantes Socinianis eorumque placitis non subscribere, sed ea passim ubi res postulat, pro virili sua confutare aut reijcere, licet sine anathemate Maranatha. Hæc tria sufficiunt ad Remonstrantes calumnia simul atque invidia ista levandos, qua eos Doctores gravare sunt conati.

His ita præmissis conferamus singula, & deinde vim argumenti, quod ex collatione desumitur, accuratius examinemus. Duo ista in quibus convenire Apologiam cum libello isto asserunt Doctores, certis Doctorum verbis concepta sunt. Primum tria membra habet, Singula ordine perpendemus: Primum membrum & secundum conjungunt D D:

I. *Errantes omnes in Christianismo (exceptis idololatris & impietatem professis) posse Deum & Christum ad salutem amare cap: III. & IIII.* Et II. *Errantes illos non carere obedientia nec esse incredulos cap: V.*

De primo primum videamus. Parenthesis ista (*exceptis idololatris & impietatem professis*) nuspiam in toto isto libello est, sed a Doctoribus ex professo inserta est, ut collatio, quam facere volunt, ad invidiam Remonstrantibus faciendam, quasi clarè elucescat. Deinde ineptissima est, & tam magnis Theologis indigna. Sensus enim ejus est, Errantes omnes, exceptis impijs & idololatris, posse Deum & Christum amare, id est errantes omnes non impios posse esse non impios, quo quid absurdius. Deinde sic concepta est, quasi idololatræ & impietatem profitentes inter errantes censeri debeant, cum idololatria & impietas, adeoque impietatis professio actus sint voluntatis, & per se culpabiles. Denique quasi impietas, & impietatis professio unum idemque sint, & ad hoc ut Deum & Christum non possis ad salutem amare, non sufficiat impietas, sed requiratur etiam impietatis professio. Profecto nimium crudè ac sordidè hæc projecta sunt a Doctoribus in re tanti momenti. Pudere eos debebat tam incompositæ orationis. Sed esto, rem videa-

Primum membrum D. D. expenditur & in eo, inepta parenthesis eorū taxatur.

 mus

mus, id est, quæ Doctores ex Apologia citant cum istis libelli verbis conferamus. Nuspiam in ea vel verbulo eadem dicunt Remonstrantes: videantur loca, & res Sole clarius lucebit. Tantummodo dicunt, Se eos qui Christum amant, qui pij Dei cultores sunt, etiamsi eos contingat circa meras quasdā opinationes, quibus nulla superstitio, nulla idololatria, nulla impietas cohæret, errare, non excludere audere regno cælerum. Pietatem itaque & amorem Dei & Christi supponunt, in ijs, qui errant & quos verentur cælo proscribere. At errantes omnes pios esse posse, sive posse Deum ac Christum amare, nuspiam asserunt. Quæ duo sane diversissima sunt uti ex natura rei liquet. Quod enim Remonstrantes subjectum faciunt in sua enunciatione, id prędicatum faciunt in sua Doctores. Cum de errantibus loquuntur Remonstrantes, errorem nullum alium intelligunt quam qui cum pietate & amore Dei ac Christi potest consistere, adeoque actu consistit; unde efficitur, falsum esse, quod Remonstrantes credant, errantes omnes præter idololatras & impietatem professos, posse Deum & Christum amare. Et quî possent id credere? cum agnoscant errores esse, qui Deum & pietatem lædunt, qui ad superstitionem, idololatriam & impietatem animis hominum ingenerandam serviunt, etiamsi ij, qui errores istos errant, nec idololatriam nec impietatem adhuc profiteantur. Animus vitiatus ad condemnationem sufficit. Quod si animus infectus non sit & vita etiam ac professio sint sine labe ac macula, sic ut non nisi purus putus error mentem atque intellectum occupet, credunt utique, errorem istum lethalem non esse, si modo absit voluntaria negligentiæ culpa. Atque si hoc sensu pronunciatū suum intelligi velint Doctores, non dubitant Remonstr: profiteri, cum eo sententiam suam convenire: usque adeo enim in misericordiæ ac benignitatis partem inclinant, usque adeo ab æternæ condemnationis & anathematis sententia abhorrent, ut errorem omnem si invincibilis sit, id est, si purus putus error sit, ad excusationem apud Deum valiturum, aut a Deo condonatum iri credant, uti postea pluribus ostendetur.

Per collationem eorū quæ a Remonstr. asseruntur falsitatis convincitur primum membrum.

Subjectum in prædicatū mutant Doctores & vice versa.

Secundum membrum est. *Errantes illos non carere obedientia, nec esse incredulos.* Cruda iterum oratio, & quæ, tantum abest ut in libello isto legatur, ut latino istius scriptori non barbara tantum videretur, sed inepta etiam atque absurda. Quid enim significat errantes illos non carere obedientia, nec esse incredulos? OEdipo opus est aut cribro. Esto, Sensum ejus nos divinemus. An hic sensus est, Errantes omnes, qua errantes, non carere obedientia? Quid absu-

Secundum membrum D. D multiplicis absurditatis redarguitur.

abſurdius? An hic; Errantes illos,cum Deum & Chriſtum amant, non carere amore atque obedientia? Quid verius? An hic, fieri poſſe ut errantes iſti non careant obedientia? At quid tum hic ſenſus differt a priore? Forte hic eſt, Obedientiam & fidem illam, quæ n errantibus iſtis ſupponitur, veræ fidei atque obedientiæ nomine lignas eſſe, ſive potius, Errores iſtos nudos non recte cenſeri actus nobedientiæ aut incredulitatis, aut tales qui Evangelio prohibenur & æterno ſupplicio digni cenſentur; ut ut ſit, hoc membrum um primo plane coincidit, atque idcirco duo iſta membra conexuerunt Doctores. Nuſpiam quidem hoc membrum ex Apoloia directe probant, ſed tamen Remonſtrantes haud illubenter ita ſentire profitentur: Et ſane res eſt adeo manifeſta, ut mirum ſit ſe, qui id tanquam heterodoxum culpare audeant. Inter primas nimi notiones cenſeri meretur, Errorem mentis undum ſive pure ute involuntarium, non poſſe eſſe peccatum inobedientiæ aut inedulitatis æterno gehennæ ſupplicio dignum. Sed hac de re poea pluribus. At inquiunt Doctores. *Hac porta aperta nullus eſt ui non videat quemlibet Sectarium, etiam Socinianum, Remonſtranum cætus ingredi poſſe & in communionem eorum recipi.* Imo vero, quam, quæ conſequentiæ ſpecies hic eſt? ut enim ea valeat, ſupni primum debet, Socinianorum ſententiam non eſſe errorem, ui Deum & pietatem lædat. At hoc ad Minorem propoſitionem rtinet, quam ſubſumſit quidem author libelli, ſed Apologia nuiam. Magnum profecto σφάλμα, ne quid gravius dicamus, comittunt crebro Doctores, cum propoſitiones confundunt, & cum de ajore quæritur, minorem ſtatim miſcent, ac ſi conceſſa majore inor negari aut in dubium vocari non poſſit: De majore hic agir; An vid: nudus mentis error ſufficiat ad condemnationem, & an m errore, qua purus putus error mentis eſt, non poſſit conſiſtere nor Dei & Chriſti, ſive obedientia ac fides vera. Hac Majore conſſa, Minor deinde expendenda venit, quæ ſectas ſingulas earume placita, atque inter cæteras Socinianam etiam ſpectat. An, vilicet, errores earum nudi mentis errores ſint, ac non tales, in quis lata culpa locum habet. Hoc enim ſi evincatur, quæ porta ijs eritur ad Remonſtrantium communionem? Et ſi illud evincar, imo ſi evincatur eorum errores nullam prorſus culpam in ſe hare, quid mirum ſi ijs ad eam lata porta aperiatur? Crudelis anis ſit oportet, qui ſimpliciter erranti non favet: Errans miſeordia dignus eſt non odio. Vox vulgi, vox populi, vox Dei eſt, rorem invincibilem excuſationem mereri.

 Quis

Quis nomen unquam ſceleris errori dedit?
Haut eſt nocens quicunque ſponte haud eſt nocens.
ἄκων δ' ἁμαρτῶν, οὔτις ἄνθρωπος κακός
Non eſt malus qui ſponte non peccat ſua.

Tum libet hic quærere, quæ iſta veſtra inclementia eſt, viri Cl riſſimi, ut in miſeros errantes tantopere ſæviatis? Nihil magis m tuere videmini, quam ut cœlum pateat hominibus nullâ ſuâ cul errantibus, quod tamen electis veſtris, licet in ſcelera & flagitia trociſſima, qua data porta ruentibus, reſeratum ſemper manere nunquam claudi creditis. Nempe ergo errare, etiamſi cætera pr bus ſis, plus valet apud vos ad perdendum cœli ſpem & poſſeſſi nem, quam peccare, ſi modo non erres. O vanos Theologos! A hęc quę inſania & furor eſt, ſolicitè hoc agere, ut errantibus cœlu occludatis, cum certum eſſe ſtatuatis, electos veſtros illud indubit tò poſſeſſuros, ſive errent ſive non errent, ſive ſtent ſive cadant; el ctionis enim veſtræ inconditionatæ beneficio jus cœli habent, quocunque ſtatu ſint. Sed progrediamur:

Tertium mēbrum. An dogma Trinitatis inter pauca non neceſſaria ſcitu ad ſalutem cenſeatur a Remonſt:

Tertium membrum eſt, *inter pauca ad ſalutem ſcitu neceſſaria ſimpliciſſima, omnibuſque ſimpliciſſimis cognitu facilia, dogma vulgatu de Trinitate non eſſe* cap: VI. *Socinianos non ſentire quæ ſentiunt, am tionis, avaritiæ, voluptatum, aut ſuperſtitionis gratiâ, nec ullâ malitiâ, nudâ ſalutis ſuæ curâ.* Hic jam cardo vertitur. Hoc enim eſt qu Doctores pro ſcopo habent ad quem collineant, ut invidia So nianiſmi Remonſtrantes onerent. Operæ pretium eſt ut hic p dem figamus, & omiſſis, quæ pro affectibus ſuis ſubinde interſ tur Doctores, rem ipſam acu tangamus. Certum eſt, Remonſtr tes nuſpiam ex profeſſo ſive nominatim de Socinianorum dogm locutos eſſe, quod tamen Author libelli iſtius fecit. Hactenus er diſpar eſt Authoris iſtius & Remonſtrantium ratio. Conſequen ergo opus habent Doctores, ut probent, Remonſtrantes etiamſi Socinianorum dogmate apertè non ſint loquuti in Apologiâ ſuâ, ipſum tamen inter ea quæ anathemate digna non ſint, cenſere p poſitum ſibi habuiſſe. Hanc videamus: *Remonſtrantes*, inquiu *cum eis objectum eſſet a Profeſſoribus Leydenſibus, cur, cum agerent dogmate Prædeſtinationis ex ſententia Synodi Dordracenæ, non m* κατ' ἀντίθεσιν *reycerent doctrinam Eccleſiarum Reformatarum, ſed e quoque impietatis ac blaſphemiæ condemnarent, agentes.a. de Trinita*

n.

ullum contrarium dogma improbarent, damnarent, aut anathemate ercuterent, refpondẽt, *fe ut iftud facerent cauffas graviffimas habuiffe. Hoc ut facerent, id eft, ut hærefes ubique omnes, & nominatim quæ circa aput de Trinitate funt, anathemate damnarent, caufas fatis graves non abuiffe* : & ftare ipfis fententiam, *Nulli homini, nulli doctrinæ anathema dicere, nifi cui Deus anathema dicit, vel expreffis verbis, vel fic, ut er confequentiam, omni exceptione majorem, & cuivis obviam id Deum icere, colligi poffit. Quænam a illa doctrina atque illi fint, quibus neue Deus anathema dicit, ac proinde & ipfi anathema dicere detrectant, ox declarant, Sociniana fc. & Socinianorum hifque fimilium; ut os ab ipforum doctrinâ, tanquã intra metas neceffariæ ad falutem proffionis confiftente, ita defcribunt; Deum,* inquiunt, *non reperiunt athema dicere altero horum modorum ijs, qui unum Deum in filio ejus igenito Iefu Chrifto piè colendum effe, & Spiritum S. ab utroque prodere ex animo credunt, vitamquè fuam ex præfcripto Evangelij fic initunt, ut Patrem in Filio ejus colant, & ab utroque Spiritus S. graim fanctis pijfque precibus ambire ftudeant, etiamfi non intelligant quod lius ab æterno ex effentiâ Patris per intellectionem fit genitus, aut quod iritus S. per voluntatem ex Patre & Filio, feu, a Patre per Filium anet, aut, alioquin de perfonâ Filij & Spiritus S. perperam fentiant; t denique, An Pater, Filius, & Spiritus S. fint perfonæ inter fe diftin: realiter, an formaliter, an ratione, & quæ funt circa iftud caput quæones infinitæ, non percipiant.* Vertant fe in omnes formas Docto-;, nunquam efficient, ut appareat, Remonftrantes Socinianam ctrinam, aut Socinianos his verbis defignare voluiffe, quod ta- n audacter admodum adfirmant. Videantur ea quæ in verbis is fuis Remonftr: excipiunt, & creditu neceffaria non putant, lu- meridianâ clarius patebit, ea fpectare partim Scholafticos, par- a Latinos & Græcos, partim noftri temporis Anabaptiftas, aliof- e Theologos rudes, qui de Perfonis divinis, earumque diftinctio-, five per infirmitatem judicij, five per defectum eruditionis & entiæ, perperàm fentiunt: Filium a Patre per intellectionẽ geni- n effe, & non proceffiffe, quã Valentini hęrefin fuiffe Auguftinus erit: Spiritum S. per voluntatem five amorem procedere, Schola- :i audacter definiunt. An perfonæ realiter, an modaliter, an for- liter diftinctæ fint, acriter inter fe difputant, & fequaces habent nnullos Reformatos, qui infuper difputant de generatione Filij, fit communicatio effentiæ, an communio, uti Keckermannus & elcatius, qui a reliquis Theologis omnibus feorfim fentiunt. An iritus S. emanet a Patre & Filio, an a Patre per Filium, tantâ

Defenditur Apologia.

con-

contentione inter Latinos & Græcos agitatum eſt, ut ſchiſma ind
natū ſit, quod hodieque durat, &, ut ut per intervalla compoſitur
videatur, nunquam tamen bonâ fide coaleſcet. Quam perperam
plerique Anabaptiſtæ ſentiant in Patriâ hac noſtrâ, quorum cœti
bus libertatem concedit publica autoritas, nemo neſcit. Jam ſi qu
cupiat noſſe cujuſmodi ſint quæ diſputantur inter Thomiſtas, Al
bertiſtas, Occamiſtas, Scotiſtas, nominales ac Reales, de Relatio
nibus originis, de proprietatibus abſolutis, de Perſonis realiter di
ſtinctis non eſſentialiter, de relationibus originis realibus, & abſo
lutis, de relationibus ſub ratione relationis & ſub aliâ: Et an relati
originis ſit formaliter infinita. An ſubtractâ relatione originis poſſe
manere Perſona Patris conſtituta & diſtincta. An cōſiſtat, ut relati
ut comparata ad oppoſitum ſit res, & ut comparata ad eſſentiam ſ
ratio tantū. Item de inſtantibus, de incircumſeſſionibus, aliaque h
etiam curioſiora, in labyrinthos totidem & ſalebras ac ſpinas ſe in
cidere comperiet: Inter Scholaſticos autē quæ diſſidia ex hujuſmo
di quæſtionibus quondam extiterint, quid attinet commemorare
hæc & ſimilia deſignarunt Remonſtran: ut ex verbis eorum mani
feſtius eſt, quam ut probari oporteat. Quod ad Confeſſionem eo
rum attinet, quam *intra metas neceſſariæ profeſſionis conſiſtentem*, vo
cant Doctores, in eâ quid merito deſiderari poſſit non vident: *Or
thodoxam eam primâ fronte videri poſſe* aſſerunt Doctores, Attame
meram latebram eſſe, addunt, *ſub quâ impia ſententia verborum inv
lucris tegitur & cothurnus omni pedi aptus.* Cur? *Eundem*, inquiunt
*conſuit Remonſtrantibus author libelli de pace Eccleſiæ, cujus veſtigijs ta
preſſe inſiſtunt ut non ſenſus modo, ſed & paſſim verba eadem, idque t
tis & integris periodis in utriſque reperiantur.* Mira profecto hæc e
confidentia. Detur unus tantummodo locus, viri clariſſimi, ubi ea
de hac materia aut alia ulla, verba, nedū integrę periodi reperiant
& viceritis. Sed eſto, factū hoc ſit, quid in eo criminis, ſi Confeſſ
vera eſt & orthodoxa? *Trinitatem tantū confitentur*, inquies, *præter
nihil; hoc idem facit libelli iſtius author.* Eſto. At author iſte diſerte,
in terminis Socinianos inter eos collocat, quibus ſalus ab iudicand
nō eſt: Id nuſpiam fecerunt Remonſt: *Attamen*, inquiunt, *illa ipſa h
retica Socini doctrina extra blaſphemiam ab ijs ponitur.* Date iterum l
cum, Doctores, & viceritis. *At anathema illis nō dicunt.* Eſto, ſed n
negant anathema illis dicendum eſſe. Quid ergo? ἐπέχουσι, Neutru
dicunt. Nimirū vident ex utraq; parte argumenta eſſe, quę ſuſpe
ſos eos reddunt & animi anxios. Nequid pręcipitent malunt reli
quere tā ſeverum ac grave judiciū Deo & tempori, uſq; dum ca
ſi

ſas ſatis graves habebunt, ut in alteram partem cum certa animi fiducia deſcendant. Nimirum ex unâ parte vident ſtare univerſalem & conſtantem pene omnium Chriſtianarum Eccleſiarum conſenſum à temporibus Niceni Concilij, ſive poſt prima quatuor ſecula. Ex alterâ parte occurrere vident diram at funeſtam Anathematos atque æternæ condemnationis ſententiam, à qua tantopere ſe abhorrere profitentur, ut eam, niſi pleniſſime perſuaſi, ferre non audeant, adeoque ferre illicitum ſibi credant. Pleniſſime autem perſuaſi cur non ſint, hæ rationes in cauſſa ſunt. I. Quod certum ſit, ijs, qui ſic errant, in Scripturis nuſpiam nec diſerte atque in terminis, neque per manifeſtam conſequentiam anathema dici. Quod autem in Scripturis non eſt, etiamſi veriſſimũ ſit, neceſſarium tamen dogma nõ eſſe ipſi Doctores in Synopſi ſuâ adſerũt. II. Quod cauſſas errandi non leves habere videantur, propter quas error eorum a pertinacia, ac proinde ab hæreſeos culpâ, quæ ſine pertinaciâ nulla eſt, a Doctoribus ipſis liber atque immunis cenſeri debet. Eæ inter varias hæ ſunt. I. Quia Scripturæ loca non pauca primâ fronte pro ipſis facere videntur. II. Quia quæ contra ipſos ex Scripturis allegata ſunt, ſive in Concilijs, ſive in Scriptis Orthodoxorum, pene ad unum omnia multis ac diverſis interpretationibus eorundem Orthodoxorum luxata ſunt, pleraque etiam aut infirma judicata, aut errori eorum & ſenſui aptata atque accommodata. III. Quia quotquot contra eos ſcripſerunt, ſententiam eorum rationi humanæ convenire potius quàm ſuam fatentur. IV. Quia ab omni ævo, imprimis ab ipſis Chriſtianarum Eccleſiarum incunabulis citant non paucos Chriſtianos, interque eos, Doctores & Epiſcopos eruditione & ſanctimoniâ vitæ claros, qui diverſimode admodum de hac materiâ ſenſerunt ac locuti ſunt, adeo ut Calvinus ipſe adſerat, *eos nec inter ſe, nec ſingulos ſecum ubique conſentire* Inſt: lib: I. cap: 13. Para: 5. Nec pauciores, qui ſententiam iſtam de æternâ Filij Dei, ex Patris eſſentiâ, generatione plane ignorarunt. Atque in hoc ordine collocant pleroſque Patres, qui ante tempora Niceni Concilij floreruat, ipſoſque adeo, Irenæum, Iuſtinum, Tertullianum, Origenem &c. in quâ re non paucos doctos habent ſibi ſuffragantes. V. Quia poſt ipſum Concilium Nicenum integra Concilia Nicenum numero Epiſcoporum ſuperantia, adducunt, in quibus Arrianorum ſententia, quæ Chriſtum Creaturarum Dei primam ſtatuit, (quæ ſententia etſi ab ipſis improbatur, propius tamen ab eorum ſententia abeſt) communibus calculis approbata creditur, ut plerique etiam Orthodoxi credunt. VI. Quia incredibi-

Rationes variæ adducuntur, quæ Remonſtrantes movent, ut ἐπέχειν velint ab Anathemate Socinianorum.

dibiles dissensiones, inexplicabiles quæstiones, innumerabiles controversias, non de re ipsa tantum, sed etiam de terminis, de vocibus, quibus recta de Trinitate sententia exprimi creditur, ortas ac motas esse vident, quas penetrare se posse, etiam adhibita omni ingenij sui acie, constanter negant. VII. Quia in ipso Concilio Niceno, in quo prææternitas & coëssentialitas Filij cum Patre asserta est, quædam statuta sunt, quæ nunc Orthodoxi omnes respuunt ac damnant; &, quod notat Eusebius lib: II. cap: LXVII. de vita Constan: Constantinus Imperator, qui in eo præsedit, in epistola ad Alexandrum Episcopum Alexandriæ, & Arrium ejudem Ecclesiæ Presbyterum, paulo ante aperte declaravit, controversias, ab ijs motas, non esse necessarias, sed ἀνωφελοῦς ἀργίας ἐρεσχελίας id est, inanis otij certationes, & quæ vulgi auribus credi non debent, quæque argutæ sint ac subtiles &c. ut alia, jam non allegemus, quæ ad infirmandum istius, & sequentium Conciliorum sanctiones ex ipsis Reformatorum libris producere solent. Unum tantum atque alterum proferemus. P, Martyr Commen. in 1. lib: Reg. cap. XII. in Concilia Oecumenica invehitur his verbis. *In Nicænâ Synodo,*

Petrus Martyr.

„ *etsi de Patris & Filij consubstantialitate recte decretum est, magna tamen*
„ *semina impietatis quo ad satisfactiones & pænitentiæ tempora inserta*
„ *fuerunt. Vt vero affectibus Patres illi commoti fuerint & agitati, satis*
„ *ex eo declaratur, quod ceu ἀλάστορες & furiæ in se mutuo invehebantur,*
„ *atque accusationibus, libellis famosis, & calumnijs pium Imperatorem in-*
„ *citabant & inflammabant adversus Collegas, ut mirum fuerit, eum po-*
„ *tuisse illorum intemperiem ferre. Convocati erant ut de Religionis præ-*
„ *cipuo capite agerent, &, hoc omisso, bili & stomacho tantum indulge-*
„ *bant. In alterâ Synodo Ephesinâ non tantum in dogmate turpiter erra-*
„ *tum est, sed ad manus venerunt, ut Flavianus Constantinopolitanus Epi-*
„ *scopus ibi calcibus oppressus sit. Scio nonnullos dicere istum conventum*
„ *non fuisse legitimum Concilium: Sed hoc parum me movet. Rogo enim*
„ *quid ei defuerit quod ad justa & vera Concilia requiratur. Autorita-*
„ *te Imperatoris Episcopi erant convocati, non minus atque ad Nicænam*
„ *Synodum. Aderant Legati Episcopi Romani, & Alexandrinus E-*
„ *piscopus jure suo præsidebat. Chalcedonensis etiam Synodus, licet Euty-*
„ *chetem juste damnavit, a Leone tamen Episcopo Romano, juste taxatur,*
„ *quod postposita sede Alexandrinâ, secundum locum dederint Constanti-*
„ *nopolitanæ, & resciderint quod in Synodo Nicæna decretum fuerat, quod*
„ *citra inconstantiæ notam fieri non potuit. Sed ajunt, hoc ad dogmata, seu*
„ *Articulos fidei minime spectare. Quibus regerimus, posteriorem Syno-*
„ *dum Ephesinam Eutychetis errorem probasse, atque illum absolvisse, quam*

postea

postea Chalcedonensis Synodus damnavit. Adhæc Synodum Constanti- ,,
nopolitanam, quæ sub Leone Imperatore habita est, sustulisse imagines. ,,
Deinde septimam, quæ congregata est sub Irene, cum imagines, tum ea- ,,
rum cultum approbasse. Cum hæc diversa sint & contraria quoad fidei ,,
capita, quis feret de illis judicium? &c. Calvinus vocat Patres Conci- Calvinus
lij Nicæni *Fanaticos* lib: de vera Eccles: Reformat: inter opuscula pag: 480. Musculus in locis communibus de Ministris pag: 193. *a Satanâ instigatos.* Beza, *optimis temporibus illis eam,* dicit, *fuisse Episcoporum partim ambitionem, partim futilitatem & ignorantiam, ac multorum etiam apertissimam ac desperatissimam improbitatem, ut Santanam plane cœtibus eorum præfuisse vel cæci ipsi facile perspiciant.* Talia pene infinita loca sunt apud Reformatos Theologos, quæ totidem præjudicia sunt pro errantibus istis. VIII. Quia ex Justino, Scriptore antiquissimo, & temporibus Apostolorum proximo, proque Christi doctrina martyre, caussam habet credendi veterem ac primitivam Christianorum Ecclesiam communionem coluisse cum ijs, qui Christum Iesum non nisi ψιλὸν ἄνθρωπον, seu hominem ex hominibus & electione Christum factum esse credebant ac profitebantur. Locus ex Iustini dialogo cum Tryphone, citatus in Apologia, non obscure id nobis videtur arguere. Quod enim Doctores hi ex verbis istis *nulla probabili nedum necessaria consequentia* id colligi posse ajunt, *nisi fortasse illis verbis quis abuti velit, ubi author dicit esse quosdam ἀπὸ τοῦ ἡμετέρου γένους ex genere nostro,* id profecto colorem non habet: non enim ex illis tantum verbis, sed ex tota orationis serie id evidentissimè colligi ab ipsis videtur: Nam I. Iustinus disertè affirmat fieri posse, ut quis demonstret solide, Iesum esse Christum Dei, sive promissum Messiam, etiamsi non possit demonstrare Christum Dei Filium præextitisse: Christum itaque pro Messia haberi & coli posse certâ fide credidit Iustinus, etiamsi negaretur esse Filius Dei æternus. II. Iustinus affirmat, si quis Christum credat non nisi hominem ex hominibus genitum & electione Christum factum, eum errore tantum labi, non autem negare eum esse Christum illum; errorem itaque istum talem errorem esse credidit cum quo consistit fides ista, qua creditur Christum nihilominus esse Messiam, in quo cardinem Christianismi ponit. III. Iustinus affirmat, si hoc ipsum tantum probetur Iesum esse Christum sive Messiam, id Iudæo sufficere posse ac debere, etiamsi nesciat aut neget aut probare non possit Iesum Filium Dei præextitisse, adeoque affirmet eum non esse nisi ψιλὸν ἄνθρωπον. Et hæc postquam dixit, subijcit, *Et sunt nonnulli, ô amici, ex genere nostro,*

Musculus. Beza.

Exceptio Doctorum cōtra locum ex Justino allegatum refellitur.

 qui

qui Iesum profitentur Christum esse, sed hominem ex hominibus genitum esse affirmant. Quæ verba, *Quidam ex genere nostro,* si tantum interpreteris, uti Doctores volunt, de generaliter Christianis, qui nomine tenus & externâ professione Christiani erant, opposité ad Iudæos, aliosque non Christianos, quod os inerit orationi Iustini? Quid enim? Si Iustinus cum Doctoribus his credidit precise creditu necessarium ad salutem esse, Christum æternum Deum esse, an verisimile est illum dicturum fuisse, Sunt aliqui Christiani qui id negant, qui tamen recte probant illum esse Messiam & Christum Dei? Enimvero respondisset e vestigio Trypho, non poterat esse Messias, nisi æternus Deus esset ex sententia tua. Quæ itaque illa foret demonstratio? Ad hæc quis sanus ita argumentetur, si cum Ethnico Idololatra ipsi res sit, quem ab idolorum cultu ad unius & veri Dei cultum pertrahere studet, ut, si eum audiat strenuè idolorum cultum propugnantem, dicturus sit, Sunt, mi homo, etiam ex genere nostro, qui idola & simulachra colũt, puta Pontificij, quibus ego non adsentior, sed propterea tamen non sequitur, te unum & verum Deum, deserto idolorum cultu, colere non debere. Et vos ipsi, viri clarissimi, si cum Iudæo vobis res esset, & ille vobis Christianos Iesum nostrum verum atque æternum esse Deum negantes obijceret, an recte vos responsuros crederetis, si diceretis, Sunt etiam, O Amice, quidam ex genere nostro, id est, Christiani professione, puta Samosateniani aut Sociniani, qui id negãt, & etiamsi istud negent, aut nos contrarium probare non possimus, tamen propterea non perierit Iesum esse Christum Dei, aut promissum Messiam? Tantum abest ut id facturi essetis, ut contra, eos in *Semi Turcarum* numerum referre, & Christum ipsum blasphemâ voce negare clamaretis: His adde, quæ admodum probabilia sunt. I. Quod verba illa Iustini, *neque id multi admodum, qui in eadem mecum sunt sententiâ, dixerint,* videantur indicare, in ipso illo cœtu, in quo Iustinus erat, paucos fuisse istius sententiæ. Non enim dixit, Nemo eorum, qui in eadem mecum sunt sententia (contradistincte ab alijs hæreticorum Sectis, Marcionitis, Valentinianis, Basilidianis, Saturninianis, alijsque, quos passim a suis discernit) id dixerit, sed *pauci* admodum. II. Quod verba illa, *ex genere nostro,* arctiorem necessitudinem & fidei communionem significare videantur, quam eam, quæ est nomine tenus & externa professione Christianismi. Nam de his ipsis, quos *ex genere suo* vocat Iustinus, affirmat, quod Christum illum non negent, aut quod ex ipsorum sententiâ non sequatur Iesum non esse Christum, Atsi titu-

lote-

tatenus Christianos verba ista significarent, quales significatos volunt Doctores, utique rectè id a Iustino affirmari non potuisset. Pontificios professione & titulo Christianos esse judicant Doctores, sed an dicere ijdem ausint, illos Christum non negare? Qui possunt cum in Catechesi Palatinâ dicant eos *Christum reipsa abnegare?* Deinde proferant Doctores unum locum ex Iustino ubi ἀπὸ ἡμετέρȣ γένȣς significet titulo solum Christianos. Contra, ubicunque de talibus agit in hoc Dialogo, aut illos professione Christianos nominat, ut Marcionitas, Valentinianos, Basilidianos, Saturninianos, quos a suis diserte secernit, aut addit illos *professione Christianos, doctrinas seductionis Spirituum, impia & blasphema* docere. Tantum abest ut illos esse dicat ex suo genere. Deinde, nec mirum admodũ videri debet, Iustinum eos, qui Christum habebãt pro puro homine, habuisse pro Ecclesię suę membris, cum & Socratẽ & Heraclitũ pro Christianis habuerit qui cum Christo Dei primogenito vixerint, uti Scultetus ipse in Analysi defensionis Christianorum ad Antoninum Pium Imperatorẽ (ea est Iustini) diserte ex Iustino refert hunc in modum: *Hic obiter alia objectio movetur, Christianos igitur esse tantum, qui intra 150 annos vixerunt. Respondet* (Iustinus) *non sequitur, quia Christus est primogenitus Dei:* Iustinus addit, *& mens, cujus totum genus humanum est particeps) quicunque ergo cum illo vivunt* (Iustinus habet *cum ratione vixerunt*) *Christiani sunt*, Iustinus addit, *etiamsi non novisse Deum existimati sint) ut inter Græcos Socrates, Heraclitus; inter Barbaros, Abraham, Elias.* Addit Iustinus, *itaque & jam illi qui ante Christum natum vixerunt sine ratione, ἄχρειοι, & inimici Christo erant, homicidæ ductum rationis sequentium. At Sectatores rationis Christiani fortes imperterritique permanent.* Tum si quis scripta Iustini, atque imprimis Dialogum istum accuratè legat, videbit Iustinum, Christum quidem Deum ac Dominum agnoscere, sed passim negare ipsum esse creatorem universi, adeoq; alium a Creatore universi, & non personâ tantum, sed naturâ, etsi non γνώμῃ, ab eo distinctum ac diversum, adserere. Quod si ita est, utique mirum non debet videri, si eos, qui eum non præextitisse cœteris rebus omnibus, aut creatum & factum in principio, sed in tempore ex hominibus genitum ac natum credebant, ex genere suo censuit. Nec enim tam ingens est distantia inter istas opiniones ut propterea schisma faciendum sit. Utrimque enim statuitur Christus creatura, sed de tempore tantum, quo existere cœpit, quęstio est. Atque ex eo etiam facile apparet, Iustinum merito colligere potuisse, sicuti collegit, Etiamsi ego probare non possem Christum præexti-

Scultetus.

 tisse

tisse Dei Filium, tamen non perierit propterea illum esse Messiam. Posset enim verus esse Christus Dei, etiamsi non præextitisset, quemadmodum quidam inter nos sunt, qui id credunt, quibus tamen ego non adsentior. Ex quo non obscure etiam colligitur, Iustinum per istos *ex genere suo*, non intellexisse Ebionitas. Etsi enim illi etiam dicantur Christum pro puro homine habuisse, & publicâ Ecclesiæ voce Iustini tempore propter istam sententiam damnatos eos esse non constet, tamen verisimile nullo modo est, Iustinum illos istâ phrasi designasse, non tantum quia nullibi in suis Scriptis Ebionitarum meminit, sed etiam quia fæx hominum videntur fuisse, utpote quorum Præceptor scribitur, Paulum Apostolum calumnijs onerasse, Petrum mendaciorum insimulasse, ex parte Iudæum, Essenum, Nazaræum, Cerinthianum, Carpocratianum vocasse, & qui insuper, ut Eusebius refert Hist. Eccles: lib: 11, cap. 21, credebant Christum ex concubitu Iosephi & Mariæ natum esse, & legis Mosaicæ cæremonias observandas esse docebant: ut hos *ex genere suo* esse dixerit Iustinus, plane non est verisimile.

Iustinum per eos, quos ex genere suo vocat, non intellexisse Ebionitas, evincitur.

Atque hæ inter alias sunt rationes, quæ errantibus istis obstant, quo minus receptæ de Trinitate sententiæ subscribere se posse affirment; quæ etsi prorsus apodicticæ non sint, tales tamen Remonstrantibus videntur, ut non levem caussam præbere errantibus possint, cur in errore suo sine pertinaciæ culpâ permanere credi debeant. Quare ut anathema illis dicant, aut ex albo vitæ æternæ eos expungant, vel expunctos esse pronuntient, adduci non possunt. Malunt inter duo hæc extrema stare medij, incerti in quam partem lanx judicij peremtorij præponderet, & certi tutissimum esse in re non prorsus manifestâ, in mitiorem partem inclinare, aut judicium suspendere ex formala, *non liquet*. Anathema contra quemquam pronunciare qui latissimæ culpæ reus ac manifestus non est, ratio vetat. Rigor anathematis summus pœnę Ecclesiasticæ gradus est, ad quem non nisi tarde veniendum est ijs, qui credunt se reos coram Deo fieri posse injustâ ac temeraria anathematis pronuntiatione. Qui absolutam electionem & reprobationem credunt, eorum alia ratio est. Iis facile ac proclive est anathematis fulmine ferire quos volunt. Anathema enim istud uti electos eorum tangere non potest, ita reprobos ut tangat necesse non est. Neutris periculum metuunt: Uti illos præcise salvari, ita hos perire necesse est, sive anathemate percutiantur sive non percutiantur. Nec noxam sibi metuunt ex iniquâ aut præpropera sententiæ dictione: Salus eorum in vado est, & uti per virtutes incrementum

gloriæ

gloriæ non sperant, ita nec per peccata decrementum ejus metuunt, Venia plenaria peccatorum omnium simul ac semel ipsis facta est, nec revocabitur in æternum, usque adeo irrevocabilis stat sententia. Sed nos jam porro videamus quæ sequuntur.

Item ex eo, inquiunt, *id apparet, quod, cum nostri omnes adversus negantes Christi propriam Deitatem, opponunt id quod Christus vocet Patrem suum τὸν ἴδιον ἑαυτοῦ πατέρα. Dicunt* fol: 48. cap: B. *impossibile esse probare obsolam æternam generationem hoc dici, unde concedunt Socinianis Christum esse proprium Dei Filium, etiam ob aliam caussam, quam ob æternam generationem*. Quam infirma, falsa, atque inepta hæc sit collectio, indigna profecto tantorum Theologorum eruditione, quis non statim primo intuitu videt? *Infirma*. Quia concedere hoc Socinianis possunt, ut interea non negent Christum etiam ob æternam generationem Filium Dei esse, quod Sociniani negant. Hæc enim repugnare nemo Theologorum dixerit. *Falsa*, quia certum est non paucos Theologos, quà Reformatos, quà Pontificios agnoscere Christum Dei Filium, & proprium Dei Filium vocari posse, ac vocari in Scripturâ, ob aliam caussam quam ob æternam generationem, prout citata loca ex Rudolpho Gualtero, Zanchio, & Maldonato Apolog: pag: 8. Sole clarius ostendunt. *Inepta*, quia vox ἴδιος istam significationem vi suâ non infert, nec circumstantiæ ullæ necessario evincunt, ut isto in loco significationem istam inferre dici debeat. Vocem istam, ἴδιος significationem istam non inferre vi suâ, nemo tam infrunitæ mentis, aut Græcæ linguæ vel a limine gnarus est, qui negabit. Christus, Ioh: I. II. Iudæos τοὺς ἰδίους σου, vocat, & Apostolos suos eodem nomine Ioh: XIII. I. Et Petrus & Ioannes Discipulos Iesu Christi τοὺς ἰδίους suos appellant Act: IV. XXIII. Imo Deus Fidelium ἴδιος κύριος nominatur Rom: XIV. IV. & uxoribus sui ἴδιοι ἄνδρες tribuuntur passim in sacris Eph: V. XXII. Col: III. XVIII. Hæc itaque concedere Socinianis, non est favere partibus aut sententiæ eorum, sed contra eos infirmis atque invalidis argumentis pugnare nolle, ne vera caussa, rigidæ probationis præsidio nixa, suspecta reddatur falsitatis, & ceteris argumentis efficacia ac robur suum pereat.

Refellitur accusatio, quam ex posibilis interpretatione Loci Ioa. V. 18 ubi Christus Patrem suum, τὸν ἴδιον ἑαυτοῦ πατέρα vocat faciunt.

Præterea, in quiunt, *cum & olim & nostro tempore quicunque de Christo vero Deo, recte sentiunt nobiscum argumententur ab honoribus divinis, quos scriptura tribuit Christo, & inter eos ab adoratione divinâ &c. respondent Remonstrantes non sine sarcasmo, Eheu! quantum periculum! & postea argumentum illud appellant plumbeam & frigidam probationem* fol: 155. &c. *Insuper quæstiones varias, quæ a Doctoribus*

Refellitur accusatio quæ ex non usurpato argumēto ab adoratione desumto ad probandum Christi divinam naturam desumitur.

circa

circa materiam de cultu Christi moventur, ut vanitates reijciunt, und Sole meridiano clarius est, eos Socinianis manum dare quoad hunc articulum citra injuriam & calumniam. Misera argumentandi ratio & manifeste absurda. An olim, & nostro tempore, quicunque de Christo vero Deo recte senserunt, & sentiunt, argumentum istuc a cultu divino usurpaverint, jam non iniquiremus: utique manifestum est, non paucos, nostro saltem tempore, Theologos esse, quos de Christo vero Deo recte sentire ipsi Doctores non negabunt, qui isto argumento non utuntur, nisi cum restrictione, quę argumentum suspectum reddit, adeoque prorsus enervat. Inter Pontificios *Bellarminum* vide, qui ex professo omnia argumenta, quæ potuit, attulit contra Arrianos veteres, uti loquitur & novos, tũ Arrianos, tum Samosatenianos, pro æternâ Filij divinitate. Quando vero isto argumento a cultu, sive a Majestate Christi adorandâ desumto, utitur adorationem latriæ intelligi a se dicit, quo ipso adorationem, quæ δȣλεία aut ὑπερδȣλεία ipsi dicitur, Christo homini secundum humanam naturam competere, ac tribui posse concedit. At hac distinctione vim argumenti sui, ut ut eam adstruere in principio conetur, usque adeo enervat, ut pene sentiri possit ejus imbecillitas. *Lutherani*, quotquot sunt, isto argumento non utuntur, nisi cum ho additamento, quod pene cum Pontificiorum coincidit, cui cultu iste adorationis *ex se* & *per se* debetur, is est verus Deus. Ut istu additamentum in adoratione Christi probetur, difficillimum est adeoque, nostro judicio, impossibile Lutheranis, qui, quæcunque d adoratione Christi dicuntur, personæ ejus convenire concedunt, i qua carnem etiam Christi, propter unionem personalem & communicatam ei divinam Majestatẽ ac gloriam, adorationis objectur esse volunt. Sed esto. Nemo alius reperiatur, qui isto argument non utitur, absurditas tamen collectionis manifeste patet. Isto ar gumento Remonstrantes non utuntur, aut istud argumentum no credunt per se sufficere, ad probandũ Filij divinitatem, ergo ostendunt se favere Socinianæ sententiæ, aut eis manum dare? Quid ? a hoc facere nõ possunt, & simul uti argumentis alijs, quę solida sun & solida per se esse ab omnibus agnoscitur? Et, cum eos id feci se ipsi Doctores agnoscant, quid est cur unius argumenti defectu culpent? Si vel uno tantum argumento, quod putant, solido u fuissent Remonstrantes, explosis cæteris alijs omnibus, nihil in e culpâ dignum commisissent. Sufficit, ut veritas adferatur, quę v unâ solâ ratione constat & contenta est. At eos jam non uno, se pluribus ijsq; validis, & vim ac robur suum habentibus rationib us(

usos esse Doctores fatentur, uti Apolog: pag: XXI. videre est. Et quot Scripturę S. locis usi sunt olim veteres, hodieque adhuc utuntur complures Theologi pro caussâ istâ, quos omnes, Calvinus alijque, infirmos atque imbecilles, adeoque Socinianæ sententiæ firmandæ aptiores esse interpretationibus suis ostenderunt: Innumeri profecto proferri possent, adeo ut propterea in suspicionem apud alios venerint, quod sententiæ hæreticorum faverent, quos tamen, tum ipsi Doctores, tum alij prudentiores, ab ista calumnia & suspicione vindicare non dubitant. Enim vero, mera Tyrannis est adstringere conscientias, ut ijsdem, quibus alij perperam aut sine gravi satis caussa, locis ac rationibus pugnarunt, ubique & semper pugnent. Quisquis Veterum disputationes sine præjudicio legit, is cogitur fateri, eos in hac caussa sæpenumero ejusmodi locis atque argumentis pugnasse, quorū nunc nos merito pudet pigetque. Sed non labascit propterea dogmatis alicujus autoritas aut veritas, quia non ijsdem argumentis adstruitur. In pugna jus est, quomodo libet adversarium aut hostem vincere. Duces etiam in mediam aciem conijciunt parum fortes & imbelles, nec raro timidos exautorant: Et velitibus olim locus suus fuit. Pugnaverint alij istis argumentis, pugnetis & vos. Si nobis ea plumbea aut ficulnea videntur, aut ut infirma a nobis exautorantur, finite ut fortiori armaturâ utamur, dummodo eundum hostem, eundem errorem confodiamus. Non minoris sane candoris ac magnanimitatis est infirmis ac invalidis armis pugnare nolle, ne dubia sit victoria, quam temeritatis & stupiditatis est eorum imbecillitatem agnoscere nolle, aut, adversario in arenâ congredienti, persuasum ire velle, quod, quæ plumbea sunt, ferrea sint & chalybea. Hoc est veritatem prostituere & veritatis hosti non spem tantum victoriæ facere, sed certam victoriam & triumphum quasi in manus dare.

Similis, ac non paulo absurdior est collectio, quam subjiciunt ex pag: Apol: LI. *Remonstrantes usi non sunt argumento a cultu divino desumto, ad probandum Spiritus S. Divinitatem: Ergo favent Socinianis Spiritus Sancti divinitatem negantibus.* Enim verò, quæ species hujus consequentiæ dari potest? Nam pone illos errare in eo, quid inde periculi? An non fatentur diserte Spiritum S. esse Deum? utique, ex ipsorum D.D. confessione pag: Censuræ 54. ar. 16. An non pluribus utuntur argumentis, ut hoc probent? Certe, fatentur id etiam D.D. ibidem. At isto non utuntur de quo hic agitur. Quid tum? At negant se uti posse isto argumento, nisi ex Scripturâ adorationis Spiritus S. mandatum, exemplum, aut indicium ali-

Refellitur objectio quā D.D. faciunt, ex non usurpato argumento a cultu divino desumto, ad probandum Spiritus S. divinitatem.

quod manifestum proferant. Ita est; Quid inde? Montibus, inquit erant, & erant in montibus illis. Non negant Spiritum S. esse Deum, atque idcirco esse adorandum, imo id diserte adfirmant. Sed tantummodo dicunt, se, si isto argumento utantur vice versâ, Adorandus est, ergo Deus est, probationem antecedentis istius reperire non posse, quia nec mandatum, nec exemplum, nec indicium aliquod adorati Spiritus S. manifestum in Script: extat. *At dicunt* (inquiunt Doctores) *ne indicium quidem esse adorati Spiritus S.* Nempe & hoc exaggerandum erat. At non dicunt indicium nullum esse, sed indicium *manifestum* nullum esse, quod extra controversiam sit; Cur hoc non addunt Doctores? Deinde, esto dixerint *indicium nullum* esse, & vox, *Manifestum*, omittatur, dent itaque Doctores indicium aliquod ex Scripturis unde id liqueat. Nihil equidem gratius fecerint Remonstrantibus, qui illud hactenus reperire aut deprehendere, licet summo studio adnixi, non potuerunt: Neque enim id propterea negant a se repertum esse, quia illud studio ac deditâ operâ observare noluerunt, ut sic dogmatis de Trinitate autoritatem elevarent, sed quia id, adhibitâ omni diligentiâ, observare non potuerunt; gratulaturi sibi si istud reperirent, aut ab alijs repertum, offerri sibi viderent. Hic itaque an non merus loliginis succus, & pura puta sugillandi, atque in odium adducendi Remonstrantes libido sit, judicium esto eorum, qui aliquid in talibus vident & sapiunt:

Expenditur criminatio quod Remon. non affirment gravise ad salutem creditu necessarium esse, Christum ex substantia matris suæ natum esse.

Ultimo loco addunt: *Inter fundamenta Christianismi hactenus in Ecclesiâ positum fuit, illud, quod Christus ex Mariâ Virgine natus sit, ita ut sit ex semine mulieris* immediate, *ex semine Davidis secundum carnem*, mediatè, *qua ratione factus est particeps carnis & sanguinis. At Remonstrantes Apologistæ fol: XCIII. pag: B. errorum eorum sc. qui negant Christum ex Mariæ substantiâ conceptum & natum esse, tanti faciendum non putant, ut propter eum quis in fundamento errare censeri possit ac debeat, dummodo fateatur Christum verum hominem natum esse.* At primo, quid hoc ad rem hic facit? An hac etiam in parte Remonstr. convenit cum Autore libelli istius, de quo hic agitur? At in eo libello ne jota quidem est hac de re. πάρεργον itaque id hic est. Esto, Rem videamus. Ecclesiam semper credidisse Christum ex substantiâ matris suæ conceptum ac natum esse, non modo non negant Remonstrantes sed & firmiter credunt. An omnes id semper crediderint Christiani, quis dixerit? Certum est uti rectè observavit Erasmus Hilarium in libris suis de Trinitate, lib. 3. & imprimis x. sic loqui de corpore Christi, ut omnino sentire videatur Mariam

virgi-

virginem præter concipiendi, gestandi, ac pariendi ministerium nihil contulisse de suo. At Ecclesiam id inter fundamenta Christianismi semper posuisse & plane necessarium creditu statuisse, quo vel canone vel argumento evincent Doctores? Quin imo etiamsi id canone aliquo evincerent, videndum nihilominus foret quo jure, quo fundamento Canon iste nitatur. Fatentur Remonstrantes errorem eorum, qui Christum ex substantia matris suæ natum negant, admodum gravem atque absurdum esse. At fieri non posse ut salvetur, qui errorem istum errat, non audent affimare. Enimvero si res videatur penitius, ad Physicos & medicos recurrendum erit, & ab illis decisio controversiæ petenda. Quæstio enim principalis hæc tandem erit; An ullus homo nascatur ex substantia matris suæ. Quid ergo? An fides principalis Christianismi ab istorum cathedris ac pulpitis pendebit? omnino ut id fiat necesse erit. Nam qui negant, Christum ex substantia matris suæ natum esse, eorum quidam isto argumento se tuentur, quamquam ineptissimo, quod nullus homo nascatur ex substantiâ matris suæ. At quam turpis & obscœna hæc sit quæstio, & quam turpe decisionem ejus petere a medicis & Physicis, Doctores ipsi perpendant. Profecto, si Theologiæ Christianæ fundamenta ex illis principijs petenda sunt, valde incerta & suspecta est Theologia tota Christiana. At inquiunt Doctores, *si Christum esse verum Deum ejusdem cum Patre essentia, de quo jam actum est, & esse verum hominem, ex ipsa matris substantiâ credere non sit ad salutem necessarium, quid tandem necessarium erit de Christi naturis credere?* Imo vero, inquam, Credere Christum esse verum Deum, & verum hominem, natum ex Maria virgine, an non sufficit? Quomodo homo natus sit, an ex Mariæ matris suæ substantiâ, an in matre quidem suâ, sed non ex matre, non pertinet ad rem, sed ad modum rei. De modo autem, imprimis cum decidi non possit nisi autoritate humanâ, quis contendendum anxiè putet? Quid enim hoc ad cultum Christi, ad fiduciam in eo reponendam, ad obedientiam præceptis & mandatis ejus præstandam facit, si nesciatur, an ex substantiâ matris suæ natus sit, nec ne? An non, etiamsi hoc ignoretur, pro vero nostro Prophetâ, Sacerdote, & Rege haberi nihilominus potest? An non eum mortuum esse pro nobis, resurrexisse pro nobis credi potest? Et hoc totum est, quod requirit a nobis Scriptura, & quod natura rei docet necessarium esse ut credatur Iesum esse Christum. Hæc nescire crassa profecto est ignorantia, nescire velle, stupor pene dixerimus & torpor. Omnes quæ in Ecclesia Christi lachrymæ sunt, hinc fluunt, quod non res tan-

Instantia D. D. solvitur.

tantum, sed rerum omnium modos, Physicis sæpe aut Metaphysicis hominum aut Scholarum postulatis nixos, ad salutem necessarios faciamus, & capitale censeamus quicquam, vel minimũ ignorare. At quantum est quod nescimus! Et mirum est, Doctores non sæpius recordari Axiomatis sui, *Quicquid in Scripturâ non est, etiamsi alioquin verissimum sit, non est necessarium ad salutem dogma.* Quod si nihilominus pertendant hic Doctores, tum hoc argumentum considerent: Si hoc est necessarium ad salutem dogma, tum quotquot illud aut ignorant, aut explicitâ fide non credunt, æternum sine conttoversiâ damnabuntur, aut si hoc negetur, tum rerum quarundam ad salutem scitu aut creditu necessariarum ignoratio, aut negatio cum spe salutis æternæ, adeoque cum æternâ salute potest consistere. Eligant Doctores utrum velint. Atque hactenus quidem de primo collationis capite, seu, ut Doctores loquuntur, de prima Thesi.

DE SECVNDA LIBELLI THESI:

Secundam libelli Thesin quod attinet, in quâ comparatur Socinianorum doctrina cum Reformatarum Ecclesiarum de Prædestinatione sententia, non solum eadem dicunt Remonstran es, sed multò atrociora, inquiunt Doctores, *Et qui in omnes Sectas tam sunt benigni, in Ecclesias illas, ex quibus egressi sunt, adeo sunt sævi, ut nullam spem salutis relinquant credentibus doctrinam prædestinationis ex sensu Dordracenæ Synodi.*

Ostenditur falso Remontibus impingi a. D. D, quod atrocia imo atrociora in sententiam Reformatarũ Ecclesiarum dixerunt quã author Libelli,

Duo hic dicuntur, quæ amuleto opus habent, adeoque manifestè falsa sunt. Primum Remonstrantes in Ecclesiarum Reformatarum sententiam atrocia, imo atrociora dixisse quam Autor libelli istius. Nam in Ecclesiarum Reformatarum sententiam nuspiam quicquam dictum a Remonstrantibus comperietur. In sententiam Calvini & Calvinistarũ in Synodo Dordracenâ sancitam ac stabilitam, eorumque crudelem praxin contra innoxie errantes sive hæreticos, quos vocant, dicta eorum omnia in terminis directa esse constat. Ecclesias autem istas Calvinisticas, ut solas Reformatarum Ecclesiarum nomine censeant, aut inter Reformatas Ecclesias in isto capite habeant, tantum abest, ut contra credant, eas non nisi exiguum Reformatarum Ecclesiarum membrum esse (quamquam non desunt, qui eas indignas nomine isto censent, utpote qui a Lutheri, primorumque Reformatorum doctrina, Confessione Augustinâ comprehensâ, seorsim sentiunt) & quod attinet capita de Prædestinatione, atque hæreticidio, in ijs eas a vere Reformatis Ecclesijs descivisse, & peculiare Calvini dogma, cum totius Ecclesiæ Reformatæ dedecore atque ignominiâ secutas esse statuunt. Atque in eas,

quà

quà tales, Remonstrantium dicta conveniunt. Ad pœnam libri provocamus, imo ad illa ipsa verba, quæ Doctores citant, in quibus diserte *Ecclesiæ Calvinisticæ quæ nuper Synodi Dordracenæ placita sancivit*, mentio fit, & additur sæpe, *quæ non tantum damnavit contrariam veritatem, sed eam etiam intolerabilem in Ecclesijs Reformatis judicavit.*

Alterum est, Remonstrantes, qui in omnes Sectas *tam sunt benigni*, ut ajunt, *in Ecclesias illas, ex quibus egressi sunt, adeo sævos esse ut nullam spem salutis relinquant credentibus doctrinam Prædestinationis ex sensu Dordracenæ Synodi.* Nihil enim horum verum est. Nec in omnes Sectas benigni sunt Remonstrantes istâ benignitate, quam particula D.D. sarcastica *Tam* innuit (Alioquin certe in omnes benignissimo animo sunt affecti, & quantâ possunt contentione animi consultum paci ac saluti earum capiunt, etiamsi alias magis alias minus errare persuasissimum sibi habeant) Nec ex Ecclesijs egressi sunt, uti D.D. hic ajunt, mirum quâ fronte, quâ conscientiâ, sed per vim, & syncretismum nefandum ex ijs ejecti, expulsi, & non obstantibus mutuæ tolerantiæ consilijs studijsque, quibus se apud omnes æquos & pios probarunt, proscripti, relegati, & omni contumeliarum genere vexati fuerunt. Res notior est in Belgio, & pene toto Christiano orbe, quam ut probari oporteat. Nec uspiam spem salutis reliquam esse negant *credentibus doctrinam Prædestinationis ex sensu Synodi Dordracenæ*, sed ijs tantum, qui *juxta axiomata Ecclesiæ istius vivunt, & crudelem praxin ejus contra innoxiè errantes aut probant aut non improbant*, uti expresse verba ipsorum a Doctoribus ipsis citata sonant. Ac sententiam Synodi Dordracenæ quod attinet, affirmant quidem Remonstrantes, eam non modo falsam, sed & valde noxiam ac periculosam esse, adeo ut post gravissimas, quæ circa necessaria controversiæ sunt, periculosior fortè nulla reperiri possit: Attamen tantum abest, ut spem salutis nullam reliquam faciant ijs, qui eam amplectuntur, ut contra, non uno in loco, aperte fateantur, fieri posse, ut qui sententiam istam tenent, nihilominus piè sanctèque vivant, aliunde sc. moti, aut alijs caussis adducti, atque ita spem salutis certam concipiant. Sed Ecclesiam illam, quæ consilia omnia pacis ac mutuæ tolerantiæ præfractè semper sprevit, & syncretismo facto prçter ac contra omnem ordinem Remonstrantes in privatis suis conciliabulis damnaverat, schismata hic illic & secessiones per fas ac nefas fecerat, in Rectores optimos insurrexerat, & cum per tumultus ac seditiones rem eo deduxisset, ut in unum conveniretur, Synodi Dordracenæ placita, id est, sua propria,

Ostenditur falsò tribui Remonstrantibus a D.D. quod in omnes sectas sint benigni, & sævi adeo in Ecclesias Calvinisticas ut spem nullam salutis relinquant credentibus doctrinam Prædestinationis ex sensu Synodi Dordracenæ, quodque ex Ecclesijs istis sponte sua egressi sint.

pria, inauditâ, indefensâ parte alterâ, sancivit, id est, quæ placita illa nõ tantum approbavit, & contrariam illis veritatem damnavit, sed eadem ut necessaria & necessario semper in Ecclesijs & Scholis retinenda, ac contrariam veritatem in ijs intolerabilem esse ex professo definivit; Istam inquam Ecclesiam *veritatis & pacis hostem* vocarunt, *cum qua pax & concordia coli non potest sine manifesto salutis periculo aut dispendio*. Hæc quam longe diversa sint vel cœcus videat. Quod si quædam asperius aut atrocius ab ijs dicta putant in doctrinã suam, per eos licet ut D.D. provocent in hac caussâ ad Pontificiorum, Lutheranorum, Anabaptistarum, aliorumque ἐκ τοῦ ἡμετέρου γένους, ut verbis Iustini ex mente Doctorum utamur, tribunal, uti ipsi in aliâ caussâ ad Lutheranos provocant. Audient ibi alia, & quæ cum Tileni ὑπερβολῇ, ut putant, conferenda non sunt. Inter cœtera, absit dicto blasphemia, Deum Calvinistarum esse verum, proprium, atque unicum peccati Authorem, imo esse Diabolum, &, quod omnia excedit, Diabolo ipso longe pejorem ac deteriorem. Concludant deinde, pro more suo, eos omnes cum Authore libelli istius eadem dicere, & multo atrociora, quàm quæ aut a Remonstrantibus, aut a Tileno dicta sunt, atque idcirco, quod caput rei est, *Socinianis favere.*

Defenditur quod in Apologia contra juramentum Alezianum & Charentonense dictum est.

Addunt, ad augendam invidiam, *de Ecclesijs Galliæ, a quibus nullâ injuriâ adfecti sunt* (Quid ergo? An a vobis injuriâ adfecti sunt Remonstrantes, Viri clarissimi! Os vestrum vos damnat, sed imprudentes) *scribunt, quod in Synodis suis Nationalibus, Alezianâ & Charentonensi, ubi Dordracenam Synodum approbarunt, eam ita evexerunt, ut Satanas non potuerit altius aut sublimius attollere humanam formulam.* Bonam fidem vestram, Viri Clarissimi! Cur truncatim loca adfertis, & rationes non annectitis, quibus moti fuerunt Remonstrantes, ut ita judicarent? hoc facite & falsi manifesti eritis, aut calumniæ rei. Nuspiam quicquam graue dixerunt, aut scripserunt Remonstrantes in Ecclesias Galliæ, eo quod in Synodis suis Dordracenæ Synodi sententiam approbarunt. Absit, Suum cuique Ecclesiæ judicium liberum esse volunt. Quod quæque volet amplectatur & approbet, pro conscientiæ suæ dictamine, Sed hoc solum taxarunt, hoc acriter perstrinxerunt, quod in Synodis illis, formulam talem cuderunt, qua, interposita solemnis juramenti religione, pastores omnes se invicem obstrinxerunt, *nullo se unquam tempore a doctrinâ istâ recessuros*, sed in *eâ ad extremum usque vitæ halitum perstituros*, idque inauditis partibus, & sine ullâ justâ caussæ cognitione. Istum agendi modum damnarunt, ut impium ac profanum

fanum, utpote quo zelotæ isti pessulum sibi ipsis ad resipiscentiam ac meliorem mentem obdiderunt, pœnitendo ac detestando bonis ac veri studiosis omnibus exemplo: Et obsecramus vos Doctores, an formulam Dordracenam, quæ, ut jam nō dicamus, falsa ac noxia, humana saltem formula erat, Satanas altius poterat evehere, aut propius ad divinam attollere, quam si eo perveniret ut formulæ isti conscientias & linguas suas obstringerent Ministri, interpositâ juramenti religione, ad extremum usque vitæ halitum? Pudor æternum habeat Religionarios istos, carcinomata laudatissimæ gentis, ob tam enorme & Reformatis indignum factum. Nullo unquam tempore, nullo unquam colore eluent tam fœdam, tam pudendam maculam, & frontem perfricuerint necesse est ij, qui id sibi non ex animo displicere profiteri audent. Nempe non satis erat anathema dicere dissentientibus, æternum anathema ut sibi ipsis dicerent, necesse erat. Non satis erat, falsam formulam præcipiti studio probare, in eam jurandum erat, ne sine perjurio unquam falsitas deseri posset, nec jurandum tantum pro isto tempore, quo falsum verum videbatur, sed ad extremum usque vitæ halitum, ne errori unquam mutando tempus esset.

Ultimo loco repetunt Doctores id quod antea dixerant, *eo usque jam procedunt, ut eos*, qui pacificè se gerunt, retinentes quidem sententiam quinque Articulorum, sed contentionibus non indulgentes reprehendant, *tanquam adeo segnes & socordes, ut præter inanem adfectum sterilemque juvandi voluntatem nihil conferant: Indignos utique qui sub Christo mereant & stipendium melioris vitæ faciant* &c. Nempe hoc aculeo iterum in fine opus erat, ut tanto hæreret altius. Pomum eridos, semel irrito conatu jactum, denuo jaciendum erat inter fratres & amicos, ut divellerentur; cœteri vero novis, & acrioribus odijs contra eos incendendi erant ne reverterentur. Nimirum illis palpum libenter obtruderent Doctores, quo alliciantur: His frænum libenter imponerent, ut in fide retineantur. At frustra. Quęcunque enim a Remonstrantibus dicta esse referunt Doctores, ista ad eos tantum pertinent, qui subscribere renuerunt Actis sacri silentij, & speciatim vocatos ad Synodum Dordracenam, quibus spes stipendij liberalis facta fuerat, si solemni promisso silentij se obstringerent: hoc silentium *prodigiosum silentium* vocant, quo conscientia & bona mens ejuratur, spe lucelli aut retinendi stipendij. Suam ergo conscientiam judicant non alienam. Ea vero quæ ex Præfatione Apologiæ citant Doctores, eos tantum spectant uti ex verbis liquet, *qui, cum veritatem recte norint*

Defenduntur quæ in Apologia contra eos dicta sunt, qui Actis sacri silentij spe lucelli aut stipendij adducti, subscripserunt.

norint, & pietatis amorem ac studium præ se ferant, eosque, qui propterea in hoc sæculo affliguntur recte atque egregie facere credant, adeo tamen segnes ac socordes sunt, ut, præter inanem adfectum sterilemque juvandi voluntatem, nihil conferant. Quo ipso discriminatos hos voluerunt ab ijs, qui cum aliter crediderunt, aliter etiam egerunt. Uti enim hi conscientiæ suæ rationem habent, ita illi conscientiæ suæ dictamen suffocant, & contra quam credunt agendum esse, agunt. Tales profecto quisquis dignos credit, qui melioris vitæ stipendium faciant, & sub Christo mereant, næ is quantum facinus sit conscientiæ vim facere & quanto labore æterni ac cœlestis præmij spes constet, aut nescit, aut nescire vult. Conscientiam bonam nemo impune exautorat. Naufragium fidei facit, qui in scopulum malæ conscientiæ impingit, Erroneæ conscientiæ cœlum aliquando patet, at malæ nunquam. Angustus nimis est aditus in cœlum quam ut eum conscientia malignitatis gibbo obsita transeat,

Atque hactenus quidem comparationem a Doctoribus factam per singula membra excussimus. Restat nunc ut vim argumenti expendamus, quod comparatione istâ nititur, ut plena sit responsio, & ratio facti Remonstrantium, quod per comparationem istam Doctores tam acrites exagitant, omnibus ex vero constet.

Expenditur consequentia argumenti, quod ex comparatione præcedente desumunt Doctores.

Argumentum hoc est; Remonstrantes eadem dicunt in Apologia sua cum Autore libelli istius; Ergo certum, aut saltem verisimile est, eos ad libellam libelli istius Apologiam suam scripsisse, aut unum eundemque cum Authore libelli istius scopum habuisse, & quidem hnnc, cum Socinianis communionem recte coli posse.

Argumenti hujus antecedens jam ante à nobis ventilatum est Consequentia ejus manifeste laborat. Neutrum sequitur. Nec certum, nec verisimile esse, Remonstrantes, posito quod eadem cum libello isto Apologia eorum contineantur, idcirco ad libellam istius Apologiam suam scripsisse, aut eundem cum authore ejus scopum habuisse. Ratio manifesta est, quia Apologia scripta erat antequam libellum istum vidissent Remonstrantes, aut de eo quicquam ipsis innotuisset. Ad ejus itaque libellam ut Apologiam suam scripserint impossibile est, proinde nec certum nec verisimile. Tum scopum istum, quem libellus iste disertis verbis exprimit, nuspiam Apologia habet, nec ex ea solidè ac clarè evincitur. Denique fu-

rur

runt omni fere ævo interChristianos,hodieque sunt inter Reformatos non pauci, qui eadem cum Remonstrantium Apologiâ dicunt, quos omnes non modo verisimile est, sed certissimum, non unum eundemque cum libelli istius authore scopum habuisse,aut habere, nedum ut ad libellam ejus, quæ scripserunt,direxerint. Quin imo certum est, Remonstrantes ad horum Scriptorum instar Apologiam suam scripsisse, & vestigijs eorum institisse, ac de libello isto ne quidem cogitasse. Quare si consequentiam suam valere volunt Doctores, & hanc disiunctivam valere concedant necesse est. Aut, omnes eos, qui eadem dixerunt cum libello isto, libelli istius instar secutos esse; aut, si hoc non admittant, tanquam manifestè absurdum,caussam non esse, cur credi debeat Remonstrantes libelli istius instar secutos esse, imo caussam esse, cur credi debeat eos potius istorum Theologorum,tum Veterum,tum Recentiorum vestigia secutos esse, quam libelli istius: Denique verisimilius esse, authorem libelli istius sua ad Theologorum istorum sententiam in Thesi composuisse, sed ad hypothesin suam longius, quam par erat,extendisse. Fuisse autem omni ævo inter Christianos complures qui eadem & similia cum Remonstrantibus dixerunt, tam manifestum est ut nihil supra, si modo duo observentur. Primò, si distinguantur scripta eorum eristica seu polemica, ab ijs quæ extra æstum & calorem contentionis scripta sunt, atque imprimis quæ concordiæ & pacis consilia continent. Deinde, si Thesis eorum respiciatur,& ab hypothesibus, quæ aliquando cum Thesi apprime non conveniunt, discernatur. Fit enim non raro,ut qui in genere, sive in thesi rectissime vident veritatem, ac tantū non Lyncei sunt, in hypothesibus cæcutiant, ac tantum non talpæ sint. Adeo difficile est verum ubique videre,& consentanea dicere,nisi præjudicium tam in hypothesi quam in thesi recte æstimandâ penitus seponatur, & prorsus exuatur. Nos aliquot eorum in scænam producemus, ne dubitationi locus sit.

Fuse ostenditur complures tum Veteres tum recentiores Theologos eadem aut similia ijs quæ a Remonstrantibus dicta sunt, scripsisse.

Summa autem eorum, quæ dicturi sumus, hæc est. Plurimos tum veteres tum recentiores pro certo habuisse,sufficere ad salutem ut credantur ea, quæ clare & apertè de mysterijs, divinam Naturam, personarum Trinitatem, Iesu Christi personam, &c. concernentibus,in scripturâ tradita atque enunciata sunt,quorum summa in Symbolo Apostolico comprehensa est; per consequens, errores, qui versantur circa quæstiones & controversias de istis mysterijs in Scriptura clare non expressas (sub quibus eas quæ necessariâ, & exceptione omni majore consequentiâ,ex ijs non deducuntur,com-

prehensas volumus) non officere fidei nec saluti cujuspiam, sive sit Discipulus, sive Doctor sive Ovis, sive Pastor. *Irenæus* primus prodeat. Is lib: 1. cap: 11. id diserte affirmat his verbis: *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & a Discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ, & maris, & omnium quæ in ijs sunt: & in unum Iesum Christum Filium Dei, incarnatum pro nostrâ salute, & in Spiritum S. qui per Prophetas prædicavit dispositiones Dei, & adventum, & eam quæ est ex virgine generationem, & passionem, & resurrectionem a mortuis, & in carne in cœlos ascensionem dilecti Iesu Domini nostri, & de cœlis in gloriâ Patris adventum ejus, ad recapitulanda universa, & resuscitandam omnem carnem humani generis, ut Christo Iesu Domino nostro & Deo & Salvatori & Regi, secundum placitum Patris invisibilis, omne genu curvetur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur ei, & judicium justum in omnibus faciat. Spirituales quidem nequitias, & Angelos transgressos & Apostatas factos; & impios, & injustos, & iniquos, & blasphemos homines in æternum ignem conijciat. Iustis autem, & æquis, & præcepta ejus servantibus, & in dilectione ejus perseverantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentiâ, vitam donans, incorruptionem loco præmij conferat, & claritatem æternam circumdet.* En hęc est brevis, succincta fidei fundamentalis formula Irenæo, Symbolo Apostolico, quod dicitur, fere tota contenta, cui *peritia Theologica nihil potest addere, imperitia nihil potest detrahere*, uti ipse Irenæus postea ibid. cap: 111. diserte subjicit. *Tertullianus* succedat. Is, in libro suo de Pręscrip. adversus hæreticos, Formulam fidei (quam vocat *Regulam*) his paucis complectitur, tanquam simpliciter credendis ut jacent; *Regula autem fidei, ut jam hic quod credimus profiteamur, illa est quâ creditur unum omnino Deum esse, nec alium præter mundi Creatorem, qui universa de nihilo produxit per verbum suum primo omnium emissum. Id verbum Filium ejus appellatum, in nomine Dei varie visum Patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremo delatum ex Spiritu Dei Patris* (B. Rhenanus vocem *Patris* non habet) *& virtute in virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex eâ natum hominem, & esse Iesum Christum, exinde prædicasse novam legem & novam promissionem regni cœlorum, virtutes fecisse; fixum cruci; tertiâ die resurrexisse: in cœlis ereptum, sedere* (alij sedisse) *ad dextram Patris; misisse vicariam vim Spiritus S. quæ credentes agat venturum cum claritate ad sumendos sanctos in vitæ æternæ & promissorum cœlestium fructum; & ad profanos judicandos igni perpetuo*

Irenæus.

Tertulianus de præscrip, adversus hæreticos.

factâ

factâ utriusque partis resuscitatione cum carnis resurrectione. Quæstiones vero a ratione fidei excludit; *Nullas* hæc regula inquit *apud nos habet quæstiones; nisi quas hæreses inferunt & quæ Hæreticos faciunt. Cæterum manente formâ ejus in suo ordine, quantum libet quæras & tractes, & omnem libidinem curiositatis effundas, si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrare. Est utique frater aliquis Doctor gratiâ scientiæ donatus; est aliquis inter exercitatos conversatus; aliquis tecum curiosus, tecum tamen quærens; novissime ignorare melius est, ne quod non debeas, noris, quia quod debeas nosti,* subjicitque, *Fides tua te salvum fecit, non exercitatio Scripturarum. Fides in regulâ* (ista sc.) *posita est; habes legem & salutem de observatione legis; Exercitatio autē in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritiæ studio. Cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti, Certè aut non obstrepant, aut quiescant adversus regulam. Nihil ultra scire, omnia scire est, &c.* Hinc longe brevius tandem formulam concipit & in fundamento collocat in lib: de veland. Virginibus. *Regula quidem fidei omnino una est, sola immobilis & irreformabilis, credendi sc. in unum Deum omnipotentem, mundi Conditorem, & Filium ejus Iesum Christum, natum ex virgine Mariâ, crucifixum sub Pontio Pilato, tertio die resuscitatum a mortuis, receptum in cœlis sedentem nunc ad dextram Patris, venturum judicare vivos & mortuos, per carnis etiam resurrectionem.* His similia habent Patres fere omnes, qui in simplice & in verbis Domini. *Ite & docete omnes gentes in nomine Patris, Filij, & Spiritus S.* clare expressâ confessione acquiescendum esse, constanter affirmant. Hinc *Hilarius* secundum librum suum Hilarius. de Trinitate sic auspicatur, *Sufficit credentibus Dei sermo, qui in aures nostras transfusus est, cum dicit Dominus, Euntes docete, &c. Quid enim in eodem sacramento salutis humanæ non continetur?* Conqueritur deinde quod hæreticorum infidelitas ipsim cogeret *aliquid ultra præscriptum cœleste proferre. Compellimur* (inquit) *hæreticorum & blasphemantium vitijs illicita agere, ardua scandere, ineffabilia eloqui, inconcessa præsumere. Et cum solâ fide expleri, quæ perfecta sunt, oporteret, personis ac rebus,* adorare sc. Patrem, & venerari cum eo Filium, Sancto Spiritu abundare, quæ ipsa pene Apologiæ verba sunt, *cogimur sermonis nostri humilitatem, ad ea quæ inenarrabilia sunt extendere. & ad vitium vitio coarctamur alieno, ut, quæ contineri religione mentium oportuisset, nunc in periculum humani eloquij proferantur. Extiterunt enim plures, qui cœlestium verborum* simplicitate *pro voluntatis suæ sensu, non pro veritatis ipsius absolutione susciperent aliter interpretanda, quam dictorum vis postularet. De intelligentiâ enim hæresis*

 non

non de Scripturâ est, & sensus non sermo sit crimen. Similia multa habet in libro quem tradidit Constantio, ubi in simplice isto textu *euntes prædicate &c.* & verbis istis pro ut jacent, fidem nostram contineri adfirmat, & de additionibus conqueritur. *Facta est fides temporum potius quam Evangeliorum, dum & secundum annos scribitur & secundum Confessionem Baptismi non tenetur. Inter hæc fidei naufragia cœlestis patrimonij jam pene profligatâ hæreditate, tutissimum nobis est primam & solam Evangelicam fidem confessam in Baptismate intellectamque, retinere, nec demutare quod solum acceptum atque auditum habeo bene credere; non ut ea quæ Synodo Patrum nostrorum continentur, tanquam irreligiose & impie scripta damnanda sint, sed quia per temeritatem humanam usurpantur ad contradictionem.* Hinc in lib: de Consilijs *beatos aut felices* prædicat *Episcopos Galliæ, quod nullam nec cudissent, nec recepissent, nec cognovissent aliam Confessionem quam unam & primam, & simplicissimam illam, quæ universæ Ecclesiæ, ab ipsis Apostolorum temporibus, tradita est.* Atque hisce consonat illa aurea ejusdem oratio; *Dum in verbis pugna est, dum de nominibus quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum de autoribus querela est, dum de studijs certamen est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri anathema esse cœpit, prope jam nemo Christi est.* Cyrillus Hierosolymitanus Catech: II. *Quod Deus quidem filium habet, crede, quomodo a.ne sis curiosus. Quærens enim non invenies. Non extollas te, ne cadas. Quæ tibi mandata sunt, hæc sola intellige. Dic mihi prius quis sit genitor, & tunc genitum agnosces. Si autem naturam genitoris non potes cognoscere, quis modus geniti sit, ne sis curiosus. Sufficit tibi ad pietatem, quemadmodum diximus, scire quod unum solum filium Deus habeat.* Idem quoque censuit *Cyrillus Alexandrinus* adversus Antropomorphitas; *Subtiles hujusmodi neque admodum tritæ quæstiones non tam demonstratione dogmaticâ, quam dubitatione & discussione conjecturali indigent, &c. Quod vero ipsa Sacra Script.* aperte *non dixit, quo pacto quisquam* aperte *declaraverit? &c. Augustinus* sæpius idem per alias occasiones inculcat, *Ea moderatio,* inquit de Genes: ad litt: lib: VI. cap: IX. *est servanda, ut in profundo Scripturæ sensu magis præstemus diligentiam requirendi, quam affirmandi temeritatem.* Et de peccat Mer. & Rem: lib: II. in fine, *Ubi de re obscurissimâ disputatur, nō adjuvantibus divinarum Scripturarum* certis clarisque *documentis, cohibere se debet humana præsumtio, nihil faciens in partem aliquam declinando: Etsi enim quodlibet horum, quamadmodum demonstrari & explicari possit, ignorem* (loquitur de parvulorum regeneratione) *illud tamen credo, quod etiam hinc divinorum* ela-

Cyrillus Hierosolymitanus.

Cyrillus Alexandrinus.

Augustinus.

eloquiorum clariſſima *autoritas eſſet*, *ſi homo illud diſpendio promiſſæ ſalutis ignorare non poſſet*. Sexcenta talia ex Cypriano, Nazianzeno, Nyſſeno, Ambroſio, Chryſoſtomo, alijſque Patribus, proferri poſſent, quæ manifeſte demonſtrant, Patres illos in theſi judicaſſe, ſufficere ad ſalutem, ut ea, quæ clare atque aperte de myſterijs divinis traduntur in Scripturâ, ſpeciatim de Trinitatis myſterio, ac nominatim in Baptiſmi formulâ, humili ac devotâ mente credantur pro ut jacent. Quæ vero circa illa controverſiæ moventur, de quibus in Scripturâ clare atque aperte nihil definitur, eas aut ſilentio prætereundas, nec profundius indagandas, aut ſolis conjecturis, & probabilitatibus in ijs inquirendis laborandum eſſe, & in ijs diſudicandis libertatem opinandi, ac mutuam tolerantiam locum habere debere, proinde, qui circa eas intelligendas errores eſſe poſſunt, nec fidei nec ſaluti officere. Addunt quidem nonnulli Patres, Traditionem neceſſarium aliquando lumen eſſe, quo perſpici debet quis dogmatis alicujus, clare quidem in ſcripturis definiti, ſed tamen in controverſiam vocati, verus ac rectus ſenſus ſit. Sed quia iſtud nobiſcum Doctores Reformati omnes reijciunt ac repudiant, nos etiam ejus mentionem nullam fecimus. Genuina his habent Reformati Theologi non pauci. Prodeat primus in proscænium *Hieronymus Zanchius*, cujus autoritas magna eſt apud omnes Reformatos & fides extra ſuſpicionem. Ejus, in oratione, quam, poſt compoſitum utcumque diſſidium inter ipſum & Amerbachium, habuit Anno 1563. 21. Iulij, hæc ſunt verba: *Prima regula ſervandæ inter nos conſenſionis eſt, ut quiſque ſe contineat intra metas verbi Dei, nec ſe alterius Diſcipulum profiteatur quam Chriſti, nullamque aliam doctrinam ſibi ſequendam proponat, quam verbum Dei in S. litteris* expreſſum, *hoc eſt, ut non aliter loquatur quam verbum Dei, nec alia tradat dogmata quàm quæ* apertè *traduntur* in S. literis, ſed *loquamur omnes* & verba & res *S. literarum. Hoc enim ut faciamus, poſtulat fides quam profitemur in Chriſtum, cum fides ſit ex auditu, auditus autem tantum per verbum Chriſti. Proinde regulam fidei appello.* Addit; *Quantum hæc regula ſit neceſſaria, inde liquidò apparet, quia videmus omnes in religione diſſenſiones inde ſuum ſemper habuiſſe initium, quod Eccleſiæ Doctores & alij homines nimium delectati vel ſuis vel alienis excogitatis, paulatim inceperunt a verbo Dei*, hoc eſt, *primum a lectionibus Scripturarum, deinde a rebus etiam ipſis* ad humanas phraſes, & inde ad humana dogmata *deflectere. Inter homines autem cum tot ſint ſententiæ quot capita, & ſua cuique placeant, neceſſe eſt, ut cum primum cœperint ab unitate verbi Dei recedere, non*

Eadem dicere Reformatos Theologes oſtenditur Hieronymi Zanchy præclarum judicium.

 ſolam

solum fiat schisma ab illis, qui se continent in verbo Dei, sed etiam ut inter eos, qui a verbo deflexerunt, variæ oriantur dissensiones & sectæ. Paulo post. *Docet igitur Paulus tunc constare unitatem Ecclesiæ, cum non solum ejusdem sumus sententiæ & voluntatis per caritatem, sed ejusdem imprimis sumus mentis in doctrinâ Apostolicâ*, & eodem etiam sermone formaque dicendi Apostolica *utimur*. Contra, *inde oriri dissidia & schismata, cum incipimus & animis ab invicem alienari, & a doctrinâ formisque dicendi Apostolicis* vel minimum *deflectere. Non sine caussa Apostolus priori loco jubet, ut idem non tantum sentiamus, sed etiam* loquamur *omnes. Etsi enim primo requiritur consensus mentis in doctrinâ, caussa tamen proxima dissidiorum est, cum diversis utimur* locutionibus, *& fit, ut licet consensus sit in re ipsâ, tamen si* varijs utamur dicendi formis, *mox dissidia, hoc est λογομαχίαι excitentur: λογομαχίαι vero sæpenumero veras etiam ἀνλιφάσεις gignunt, quia dum suas quisque vult defendere locutiones, fit ut etiam mutet sententiam.* Extat hęc oratio in fine Epistolarum H. Zanchij, quam hoc pacto concludit. *Vitemus igitur dissidia omnia, fratres, quod ut possimus assequi, contineamus nos intra metas S. literarum, ut idem quod Apostoli docuerunt sentiamus, & idem etiam quod Apostoli* loquamur, *& consensus nobis sit cum Apostolis, non solum* in doctrinâ, *sed etiam* in sermone & formà dicendi. Digna est hæc oratio, quæ aureis literis vestibulis Academiarum inscribatur, aut quotannis in Scholis & Academijs recitetur. Nimirum composita est a Zanchio cum jam per biennium integrum dissidijs agitatus, & per omnia concordiæ remedia atque experimenta frustra circumactus, tandem deprehendisset concordiam iniri, aut sartam tectam conservari non posse aliâ viâ, quam eâ, quam oratione istâ suâ expressam voluit. Et sane optimum & fidelissimum consilium videri debet quod ex animo proficiscitur, qui per lites subactus, &, per omnia remedia frustra tentata, tandem præjudicium ponere coactus est, & in veritatis cognitionem, veluti in portum, certissimo experimento deductus est.

Ioannes Sturmius.

Et hujus generis etiam est consilium *Ioannis Sturmij*, Rectoris Argentinensis, quod contra *Ioannis Pappi* caritatem & condemnationem Christianam dedit, atque in lucem edidit ad defensionem Illustrissimi Principis *Wilhelmi Lantgravij & fratrum ejus*, qui cum Saxoniæ Electori suam de corpore doctrinæ sententiam exposuissent, inter cætera grave sibi esse scripserunt, verbum *condemnamus* & pro eo *improbamus* malle se scribere significaverant; quibus etiam postea *Hassica*, & illius Ecclesiæ, *Danica*, *Anhaltina*, aliæque adsenserant, Consilium enim hoc ex intima animi sententia, & seriâ

feriâ errantium commiſeratione, poſt longa & varia malorum incommodorum & periculorum, quæ ex condemnationis iſtâ proclivitate oriuntur, documenta atque experimenta profectum eſſe, uterque ejus Antipappus arguit. Et mirifice in eo deprędicat paſſim, tum in præfatione, tum in ſcripto utroque, Buceri dictum, quod, in Angliam ab ipſo diſceſſurus, dixerat; *Poſt hac ego nunquam aliquem condemnabo, in quo* aliquid Chriſti eſſe *animadvertero, ſed illud, quod Chriſti eſt in homine intuebor, & quamdiu illud in aliquo eſſe ſentiam, non condemnabo eum, ſed nec deſinam hoc nomine fratrem lucri facere.* Atque in hoc propoſito Bucerum *ad extremum uſque ſpiritum* perſtitiſſe adfirmat. Atque ita profecto eſt. Verba Buceri ipſius, in præfatione ad Acta Colloquij Ratiſbonenſis, fidem faciunt; *Cavendum* (inquit) *ſummopere pijs eſt, ne ullos, qui Chriſti ſunt, Chriſtumque vere invocant, abjiciant, Chriſti ſocietate excluſos. Quare & propter eos, qui judicio Chriſti adhuc infirmiores ſunt; nec quid in unoquoque dogmate vel ritu aut Chriſtianæ Religioni proprium, aut inſtitutioni utilius ſit, diſpicere poſſunt, neceſſe eſt ut in multis alteri alteris, ut ſuæ ſententiæ ipſi rationem habeant, concedant, & ſtare eos vel cadere ſuo Domino permittant, modo de ijs conſentiant, in quibus Religio ipſa conſtit.* Quænam autem illa ſint *Sturmius* ſuo judicio expreſſit in ſecundo *Antipappo* ſuo, his verbis; *Sunt quædam quæ ante adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti condemnari non poterunt. Quæ autem condemnari poſſunt, ea condemnari non poterunt, antequam verbo Dei* aperte *ſint refutata. Verbum enim* apertum, manifeſtum, clarum, non controverſum, N.B. *pro præſentia Domini habendum eſt. Sed etiam atque etiam nobis maximopere cavendũ eſt, ne illud nobis apud Ezechielem, obijci queat, Dicitis Dominus dixit, Dominus autem non dixit.* Accedat vir cl. *Franciſcus Iunius*, prędeceſſor horum Theologorum, cujus *Eirenicum* dignum eſt quod ab omnibus Chriſtianis medullitus imbibatur, utpote ſcriptum extra fervorem contentionis, & dictum contra clamoſos & rixoſos Theologos aut Theologaſtros, qui domum Dei pacificam litium incendijs miſcere & pręcipiti ſuo in errantes zelo inflammare malunt, quam vel hilum quippiam pacis ac concordiæ concedere. In eo hæc verba ſunt. *Quod ſi non omnes idem ſentimus per omnia, abſit ut continuo ſtatuamus, non unum amplius nos eſſe qui rebus tam multis & principalibus unum ſumus. Qui unum Deum habemus Patrem a quo omnia, unum Chriſtum in quo omnia, & unum Spiritum per quem omnia, unum corpus in unitate Spiritus, unam fidem in præcipuis his capitibus, quamvis ſecundum plus & minus (ut loquuntur vulgo) differentem, an propterea nos unum eſſe nega-*

M. Bucerus.

Franciſcus Iunius,

negabimus & dissidia inter nos faciemus, quia unum per omnia sententijs non sumus? Sed quod pag: 138. ait, notatu dignissimum, est; At scindunt Ecclesias? *Equidem non probo ab illis Ecclesias scindi: sed nec hoc quidem probo, ut qui scindunt scientia & infirmitate suâ, ij scientiâ, & autoritate tuà ac potius Tyrannide (quisque es) ita rescindantur. Si enim Ecclesiam, in quâ versor per Dei gratiam, illi non agnoverint at mihi tamen hoc tempore satis futurum est, si videro aliquam Christi Ecclesiam ab illis agnosci:* Ut me N.B. ut hanc aut illam Ecclesiam agnoscant *non magnopere laborabo*, modo agnoscant Christum; *pro certo habens si in Christo paulatim confirmentur, fore, ut confirmato mentis oculo me & alios vivere in Christo videant, & amplius cum cœtu piorum coalescant.* Paria dicit Musculus in locis communibus de Ecclesiâ, *Patres* (inquit) *fidem illam, secundum cujus professionem vel abnegationem Ecclesias vel Catholicas vel hæreticas esse judicarunt, redegerunt in breve ac disertum Symbolum, quo dicimus, Credo in Deum*

Wolfgangus Musculus. *Patrem &c. Hæc est vera Apostolica, Orthodoxa, Catholica, vere orthodoxæ, & Catholicæ Ecclesiæ non varians, sed per omnia sæcula constanter & eadem permanens Fides, secundum quam veri Christiani, orthodoxi, & Catholici censentur:* Ergo *qui ad hunc modum credunt, fidem habent Catholicam. Consequitur igitur esse eos non hæreticos, sed Catholicos in unitate Ecclesiæ Catholicæ constitutos. Quare vehementissime iniqui sunt ac temerarij, qui hac fide non contenti, adhuc alia credenda requirunt a fidelibus, quorũ nec in Symbolo Catholico nec in Baptismate fit mentio, nec requirunt leviter, sed pari necessitate ac conditione qua Catholica fides ab omnibus illis requiritur, qui Catholicæ membra*

Desiderius Erasmus. *volunt esse Ecclesiæ.* Hisce cur non adjungamus *Erasmum* nostrum, portentum certe sæculi nostri, & Hollandiæ nostræ lumen. Etsi enim, uti de eo Sturmius ait, *malum, quod in Pontificatu vidit non ita ut potuit, voluit detegere*, eam tamen animi moderationem in dijudicandis ac discernendis necessarijs a non necessarijs dogmatibus ubique servavit contra Theologorum Pontificiorum aliorumque præcipitem ac præfractam in condemnandis quibuslibet pene errantibus αὐθάδειαν ac licentiam, ut miraculum prudentiæ ac perspicatitatis in isto caliginoso ævo hodieque videri possit, adeoque non viam tantum monstrasse veritatis simul ac pacis studiosis, sed perfectum & omnibus numeris absolutum exemplar, si in hoc ævum nostrum incidisset, præbiturus fuisset. Non citabimus loca unde id manifestè liquet: Scripta ejus ad unum omnia Apologiæ, Epistolæ, præfationes in Patres, ab imâ ad summam usque chordam aliud pene nihil sonant, quam pacis, tolerantiæ, mode-

dera-

derationis consilia, non minus erudita quam salutaria. Hujus profecto instar (si ea separes in quibus Romanæ Ecclesiæ nimium, licet non sine cautelis quibusdam, indulsit) secutos se potius fatentur Remonstrantes, quam cujusquam alterius, nedum nuperi istius libelli, quem hic Doctores citant. Non necesse habuerunt rivulum istum adire. Oceanum istum habebant, ex quo rivulum istum, si quid in eo bonæ ac salutaris aquæ est, profluxisse credunt. Ita enim statuūt, paucos esse, quibus moderatiora consilia contra Christianorum schismata, tristia sane & deploranda, placent, qui non ex hoc mari situlas aliquot impleverunt. Et huic accenseri meretur, pene dixerimus, conferri divinum istud prudentiæ ac moderationis lumen *Iacobus Acontius*, ob Reformationis amorem, & Evangelicæ veritatis professionem in Angliâ exul (quem contemtim Theologi hi Brabanti, Flandri ac Galli *Italum* vocant, quasi hoc plus sit ad depreciandum ejus existimationem, quam Flandrum, Brabantum, aut Gallū esse) quem nuper *Ioannes Iacobi Grasserus Basiliensis*, cum amplissimis elogijs, recusum, serio Theologis omnibus, & meritissimo jure, commendatum esse voluit. Profecto, si quis pauca ista quę scripsit, videat, cogetur fateri Satanam majorem hostem isto ævo vix habuisse. Ita paucis omnes ejus artes, stratagemata, arcanas molitiones, suffossiones, & cuniculos complexus est, ut nihil pene restare videatur Christiano ac Reformato orbi, ad eum totum debellandum, quam indicia Acontij sequi, & consilijs ejus obsequi. Enimvero, si Apologiam Remonstrantium cū scriptis ejus & Erasmi conferre libuisset his Theologis, haud obscure deprehendissent, eam non vestigijs libelli istius (de quo ne fando quidem audiverant Remonstrantes) sed istorum presse institisse, nec id negaturos fuisse Remonstrantes, quicquid sciant non paucos esse quibus consilium ac studium istud eorum displicet. Videantur octo libri ejus, ac nominatim septimus, ubi de necessarijs ad salutem a non necessarijs distinguendis alijsque agitur, & res Sole clarius apparebit. Quare nec citabimus hic loca quædam, ut res manifesta fiat. Excerptis opus non est, ubi integri libri loquuntur. Adnectemus his *Wilhelmum Teilingium* vestrum, qui *Eubulum* edidit, nomine potius quam re talem, attamen in quo non pauca bonæ mentis vestigia sunt ac lineamenta, sed in quibus studium potius suum quam judicium accuratis rerum æstimatoribus probavit. Saltem ex isto opere laudem istam meruit, ut tentasse, adeoque exhaurire voluisse dici possit, id, quod nemo Calvinistarum hactenus vel extremis digitis tangere ausus fuit. Acontij ubera suxisse videtur, sed labijs præjudi-

Iacobus Acontius.

Guilhelmus Teilingius.

judicio imbutis: Vestigia ejus sequi voluisse, sed ex intervallo & suspenso animo quasi reptabundus. Quicquid sit, in *Eubulo* isto, ubi enumerat articulos sex absolute ad salutem necessarios, & qui non ex naturâ sed ex scripturâ solâ cognosci possunt, Articuli de Trinitate ex professo non meminit. Tantummodo in Articulo tertio obiter & per parenthesin hæc verba inserit. *Qui filius, est & manet verus Deus cũ Patre & Spiritu S.* In deductione autem Articuli istius latiore urget quidem necessarium creditu esse, Filium esse verum Deum, at de Spiritu S. ne hilum quidem habet. Saltem expressum de Trinitate Articulum non facit, unde verisimile est eum credidisse, sufficere ad salutem, ut de eo credatur quod de eo in Scripturis expresse traditum ac definitum est, præterea nihil. Et cum hactenus liber iste censurâ nullâ notatus fuerit, cum Author ejus vir, ut videtur, pius, ac modestus, in pretio apud Ecclesias fuerit, caussa profecto nulla est, cur Remonstrantes videri debeant ad libellum hunc de pace & Concordia Ecclesiæ potius respexisse, quàm ad hujus aliorumque scripta. Certe non pauca in eo libro sunt, quæ adamussim conveniunt cum ijs, quæ Apologia habet, ijs exceptis, in quibus judicium suum magis ad hypothesin præjudicatam composuit, quàm ad thesin sive veritatem direxit. Sed quid pluribus testibus ac testimonijs opus est? Ex his quæ jam in medium adduximus clare satis constare credimus, caussam nullam satis gravem esse, cur Doctores persuasum velint mundo, Remonstrantes Apologiam suam ad libelli istius libellam direxisse, cum tot ab omni retro ævo fuerint, hodieque sint, quos eadem cum Apologiâ sensisse ac scripsisse constat. Profecto si ex æquo ac bono, ac non potius ad invidiam Remonstrantibus conciliandum, Apologiam judicare constituissent Doctores Academici, ex tot præcedentium, quà veterum, quà Recentiorum scriptis, haud obscure collegissent, Remonstrantes ad eorum potius stateram ac libripendem omnia sua scripsisse, quàm ad alterius cujuspiam, nedum nuperi & ignoti alicujus, quin & exosi atque invisi Scriptoris formulam, veluti decempedam, scribere voluisse.

Verum enim vero dicet quispiam, dato sed non concesso, rem ita se habere, quod vid. Remonstrantes, non ad hunc Novitium, sed ad Scriptores illos supra nominatos in Apologiâ suâ respexerint, nondum tamen sequitur, eos eâ in re recte ac bene fecisse, cum Scriptores istos eâ in parte errasse, aut, quod optimis etiam Scriptoribus accidere solet, dormitasse dici possit. Ita est. Quocirca addunt Remonstrantes, tantum abesse ut id jure dici posse existiment, ut

con-

contrà credant, ſcriptores iſtos non tantũ eâ in parte nõ erraſſe, ſed ea, quę ſcripſerũt, veriſſima eſſe, ac talia, ut, qui nõ omnino pręjudicijs excœcati ſunt, eadẽ ſcribere potuiſſent, adeoq; ſcripturi fuiſſent, etamſi nec libellus hic, nec ſcriptores iſti in rerũ naturâ fuiſsẽt. Atq; hoc percurrenti duo iſta quę ex libello iſto citantur, ſic demõſtramus. Primum eſt, *Errantes* (vox *omnes* additamentũ eſt Doctorũ) *poſſe Deum & Chriſtũ amare, & nec obedientiâ, nec fide carere.* Hoc pene axioma eſt & prima notio, quam non didicimus, accepimus, leginius, verum ex ipſâ naturâ arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus. De errore loquimur, qui merus error eſt, qui in intellectu tantum eſt, & ſine ullâ culpà ejus qui errat, imo qui non modo in intellectu eſt ſine voluntatis imperio, ſed præter ac contra voluntatem hominis, ita ut qui eum errat, errorem iſtum eveſtigio deſerturus eſſet, ſi intelligeret errorem eſſe, adeoque errori iſti idcirco tantum adhęret, quia adhibitâ omni prudentiâ ac judicio ſuo, quin & precibus aſſiduis apud Deum, veritatis Authorem, intercedens, non poteſt deprehendere errorem eſſe, ſed contrà, veritatem ipſam, divino verbo conſentaneam eſſe credit, paratus pro eâ ſanguinem fundere, & mille mortes ſubire. Hunc errorem in eo eſſe poſſe, qui Deum & Chriſtum amat, veràque in Deum & Chriſtum fide præditus eſt, pro axiomate habent Remonſtrantes. Eſt enim error plane invincibilis & inculpabilis. Nec referre credunt Remonſtrantes, an error iſte verſetur circa veritatem pure pute ſpeculativam, an circa veritatem quæ ad praxim ordinata eſt, ſive cujus cognitio ad pietatem utilis eſt: De errore qui circa veritatem purè putè ſpeculativam eſt, dubium nullum eſt: veritatis enim pure putè ſpeculativæ ignorantia conſiſtere poteſt cum amore Dei & Chriſti, cum fide & obedientiâ. Ergo etiam error circa iſtam veritatem. De errore circa veritatem, quæ ad praxin ordinata eſt, ſive, quæ ad pietatem utilis eſt, dubium a quibuſdam movetur, ſed ſine cauſſâ: utilis enim veritas per ſe neceſſaria non eſt ſcitu aut creditu ad ſalutem. Ignorantia itaq; veritatis illius, aut error circa eam conſiſtere poteſt cũ fide neceſſariæ veritatis ac proinde etiam cũ amore atque obedientiâ Dei & Chriſti, quæ neceſſariâ veritate nituntur. Quin imo, ſi quis rem recte putet, uſque adeo verum & certum eſt hoc axioma, ut error aliquando, qui circa veritatem ipſam practicam eſt, locum habere poſſit in eo, qui Deum & Chriſtum amat, non quidem ex naturâ rei, ſive quod error iſte per ſe noxius, adeoque pietati contrarius non ſit, ſed quia contingit, ut is, in quo error iſte eſt, ad veritatem

Oſtenditur dicta omnia præcedentia rationi rectæ eſſe conſentanea.

Errorem nõ dum poſſe cũ amore Dei & Chriſti conſiſtere, inter primas animi notiones cenſeri meretur.

Nec refert an error ſit circa veritatẽ ſpeculativam, an circa veritatem quæ ad praxin utilis eſt.

practicam exercendam, alijs rationibus moveatur, aut moveri se sinat absque hoc ut consideret aut perspiciat errorem istum cum rationibus istis connecti non posse. Ita potest quis errorem istum errare, ut credat bona opera non esse necessaria ad salutem, nec necessitate præsentiæ, nec necessitate efficientiæ, item, Deum non tantum bona omnia, sed mala etiam occultâ virtute efficere in nobis aliaque, & ut nihilominus tamen bonis operibus seriò studeat, & peccata omnia solicitè vitet ac fugiat, non minus, quàm si crederet bona opera ad salutem necessaria esse, & peccata omnia non Dei, sed nostra propria opera esse. Nimirum bona præcipi, mala vetari legit a Deo, quomodo autem præcepta illa cum istâ Dei operatione consistere possint, in eo concipiendo errat, & quamquam bona opera non esse necessaria ad salutem credit, æquum tamen esse ut illa faciat persuasum sibi habere vult, atque idcirco a malo abstinet, & pietatis officijs serio invigilat. Attamen, inquies, hic error culpabilis est. Fatemur, sed culpam istam credimus idcirco in censum non venire apud Deum, quod is, qui errorē istum errat, usque adeo pietatem & obedientiam cordi habeat, ut ne quidem ab eâ per errorem istum, qui ad divertendum eum a pietatis studio comparatus est, avelli aut revocari se patiatur. Magnum hoc pij affectus ac studij argumentum est. Atque hujusmodi quidem error, si cum amore Dei & Christi, cum verâ fide atque obedientiâ mandatorum Dei & Christi potest consistere, multo profectò majori jure credere quis potest cum amore Dei & Christi consistere posse errores istos omnes, qui sunt circa veritatem, quæ aut prorsus nullam, aut non æque manifestam cum amore Dei & Christi connexionem habet, cujusmodi sunt errores omnes, qui circa quæstiones controversas & disputabiles versantur, quas manifestè in alteram partem decisas esse, nedum sub ratione necessitatis decisas esse, in Scriptura non constat; cujus generis non paucæ in Apologia annotatæ sunt, ut exempli gratia, qui sunt circa modum generationis Filij & processionis Spiritus S. circa modum divinæ omnipræsentiæ; circa objecta divinæ præscientiæ; circa nativitatem Christi ex carne & substantiâ Mariæ; circa modum præsentiæ Christi in Eucharistia; circa objectum fidei Patrum in V. Testamento; circa Pædobaptismum; circa statum animarum ante judicium; circa resurrectionem eorundem numero corporum; circa mundi essentialem corruptionem, aliaque quę verbis Parei in 1. ad Corinth.
David Paræus 3. exprimere malumus, & ab illo vocantur *dogmata non plane hæretica, impia, blasphema, cum fundamento pugnantia, sed erronea, vana, curiosa,*

curiosa, non necessaria, doctrinæ fundamentali admixta, per ſtipulas & ligna ab Apoſtolo denotata, *cujuſmodi* (inquit) *innumera mox poſt tempora Apoſtolorum doctrinæ Chriſtianæ admiſceri cœperunt, & paſſim in Scriptis Veterum reperiuntur, humana commenta, argutiæ Philoſophicæ, quæſtiones curioſæ, opiniones dubiæ & erroneæ, de libero arbitrio, de Hierarchiâ Eccleſiaſticâ, de Petro Apoſtolorum Principe, de Romanâ Sede Eccleſiarum capite, de primatu Pontificis Romani, de ordinibus Eccleſiaſticis, de poteſtate & ſeſſionibus Epiſcoporum, de autoritate Conciliorum, de ritibus & Cæremonijs, de Ferijs, de die Paſchatis, de Iejunijs, de animæ Origine, de deſcenſu Chriſti ad inferos, de loco & ſtatu animarum ante judicium, de Sinu Abrahæ, de Aquâ luſtrali, de Paradiſo, de ſigno crucis, de imaginibus, de memorijs & Templis martyrum, de votis & virginitate, de cœlibatu, de oratione pro mortuis, de indulgentijs, de purgatorio igne, de Baptiſmi & Euchariſtiæ abſolutâ neceſſitate ad ſalutem, de Euchariſtia Infantibus danda, de Antichriſto & alia id genus incerta ac periculoſa dogmata. &c.* Hos omnes errantes poſſe Deum amare & Chriſtum, veraque fide & obedientiâ non carere, Paræus agnoſcit. Et ſane quam graves errores cum amore Dei & Chriſti, cum vera fide & obedientia poſſint conſiſtere, exempla varia docent. Apoſtoli errabant circa principalem veritatem de ſtatu regni Ieſu Chriſti, & tamen eos Chriſtũ amaſſe, verâque fide & obedientiâ non caruiſſe Chriſtus ipſe paſſim teſtatur. Corinthij errabant circa ipſam veritatem reſurrectionis mortuorum, & tamen Fratres Fideles a Paulo vocantur, & Deum Chriſtumque etiam in medijs afflictionibus amabant. Hactenus de primo.

Alterum eſt, *inter pauca ad ſalutem ſcitu neceſſaria, dogma vulgatum de Trinitate non eſſe.* Si per *Vulgatum dogma* de Trinitate intelligatur dogma, non prout in Scripturis aperte atque expreſſe traditum eſt, hoc enim nemo Chriſtianus inter neceſſaria ponendum eſſe negare poteſt, ſed prout vulgo in Scholis atque Academijs, quæſtionibus ac controverſijs in Scripturâ non aperte nec clare expreſſis, interpolatum atque conſutum eſt, tum profectò nihil cerius eſt, quam quod inter non neceſſaria cenſeri debeat. Et in hoc conveniunt omnes, quà veteres, quà Novi Theologi, paucis rigidioribus exceptis, uti ex antedictis manifeſtum eſt. Nec mirum, de terminis ipſis non convenit inter quæſtionarios. Tum nec inter ſe conveniunt, nec conſentanea ſibi dicunt, nec quæ dicunt intelligi poſſunt, niſi totâ Metaphyſicâ ipſorum prolutus ſis. In labyrintho fictionum verſatur, qui in eas ingreditur, unde vix ſine inſania egredi licet.

At de dogmate isto loquimur, inquies, pro ut in Concilio primò Nicæno decisum est. At inquam, an hoc pro ut decisum est, inter necessaria collocandum sit, uti negare ita nec adfirmare audent Remonstrantes: Tum, an inter necessaria relatum sit in primâ Synodo Nicæna disceptari potest. Sunt qui negant Anathema ullum in ea dictum esse, recte, an secus, aliorum esto judicium. Quin Constantinus Imperator in principio, dogma illud inter non necessaria retulerit, indubium est. Literę ejus, quarum antea mentionem fecimus, id non obscure demonstrant. Nec desunt qui literas istas ab ipso Osio Episcopo Cordubensi conceptas ac scriptas esse affirmant; Quin & ipsum Osium, ac Constantinum Imperatorem mortuos esse in fide Arrij quæ in Concilio Nicæno ab ipsis damnata fuerat, quod tamen non usquequaque certum nobis videtur. Quod si quis etiam Orationē *Greg. Nazianzeni* adversus Iulianum tertiam videat, & advertat quid de Constantio Imperatore jam absque controversia & fatente ipso Nazianzeno oratione IV. in fide Arij mortuo dicat, haud obscure videbit, eum non modo non desperasse de salute ipsius, verum etiam de ea ne quidem dubitasse, adeoque cum funus illius duceretur supra Taurum montem dixisse eum, Auditas esse voces ex locis superioribus psallentium Angelorum, quasi pietati ejus acclamantium & non obstante errore isto, gratulantium illi adventum ex regno terreno in regnum cæleste. Quod verisimile nullo modo est Nazianzenum ausurum fuisse, si Anathema in eos Concilium dixisset qui Arrij errore infecti moriuntur. Ut ut sit, Remonstrantes cur Anathemate devoveant eos omnes, qui errant circa dogma de Trinitate, pro ut in Concilio isto definitū est, caussam non satis gravem se habere profitentur, nec in Concilio isto rationes sufficientes reperiunt, propter quas id fieri debeat. Quocirca supersedere malunt ab horridâ istâ Anathematis sententiâ, & in mitiorem partem inclinare, quam præcipiti festinatione, aut cœcâ imitatione se ipsos Anathemati obnoxios reddere, memores sententiæ Domini, Ne condemnate ne condemnemini.



R E-



RESPONSIO
ad
CATALOGVM
ALTERVM,

In quo

Excerpta sunt dogmata alia ex Apologia Remonstrantium, in quibus quoque preter Articulos quinque controversos, a doctrina Ecclesiarum Reformatarum eos abire dicunt Theologi Leydenses.

DUo in vestibulo hoc annotanda sunt, quorum alterum Doctores innuunt, alterum adfirmant, & pro virili sua conantur demonstrare. Primum est, *Remonstrantes in Articulis quinque controversis de Prædestinatione abire a doctrina Ecclesiarum Reformatarum.* Hoc quam falsum sit, varijs scriptis vicerunt Remonstrantes, & ex Apologia, ijsque, quæ ante dicta sunt, haud obscurè patet: Ut id pluribus jam a nobis evincatur, nec necesse est nec operæ pretium, cum Doctores non probent dictum suum, sed obiter tantum innuant, se credere rem ita se habere. Quod si per *Ecclesias Reformatas* intelligant eas, quæ in Synodo Dordracenâ in sententiam unam conspirarunt, fatentur Remon-

ſtrantes ſe ab iſtarum Eccleſiarum omnium (quanquam eas non omnino conſenſiſſe Acta ſatis manifeſtè docent) ſententia diſſentire. Sed tantum abeſt, ut eas Eccleſiarum Reformatarum nomine, iſtā rem quod attinet, cenſeant, ut eas iſta ipſa in re ab Eccleſiarum verè Reformatarum doctrina, ſyncretiſmo facto receſſiſſe, perſuaſiſſimum ſibi habeant. Alterum eſt. *Quod præter illos Articulos alia dogmata ſint, in quibus a Reformatarum Eccleſiarum doctrina Remonſtrantes abire aſſerunt.* De his jam tempus eſt ut videamus, ſi illud tantum hic iterum præmonuerimus, quod jam ante non ſemel obſervavimus; Mirificè ſibi placere, ac veluti receptui canere Doctores, ſi hoc eviciſſe ſe credant, Remonſtrantes, ſcilicet, ab Eccleſiarum Reformatarum doctrina abire, quaſi hoc magnę atque egregiæ alicujus victoriæ argumentum ſit, cum certum ſit nihil minus decere Reformatos, quam ex ignobili iſto, & a Pontificijs mutuato pugnæ genere, victoriam quærere, aut triumphum ſperare; & qui eo gaudent, Eccleſijs Reformatis eſſe dedecori ac probro. Fieri enim poteſt, ut dogmata iſta, Eccleſiarum Reformatarum propria dogmata non ſint, aut ſi talia omnino ſint, ut ſint dogmata quæ aliter atque aliter ſine periculo ſalutis credi poſſunt. Ut ut ſit, Reformatarum Eccleſiarum laus propria in eo poſita eſt, quod dogmatum omnium tum veritatem tum neceſſitatem ex ſolo Dei verbo æſtiment: Qui aliter agunt, ij, quocunque demum titulo aut prętextu ſua pallient, a primo ac proprio Reformationis principio abeunt, & in caſtra adverſariorum redeunt, ijſque Reformationem totam tantum non ludibrio propinant. Sed nos jam in rem ipſam deſcendamus, & dogmata, que excerpſerunt Doctores, ordine conſideremus.

Castigatur marginalis adnotatio D. D. ad invidiam augendam tantum adpoſita & peſſima fide.

Ac primò quidem infæliciter admodum ordiuntur Excerptorum ſuorum telam. In ipſo exordio hallucinantur ac ceſpitant. *Quid ſentiant Remonſtrantes de fide ac ſalute Patrum ſub V. Teſtamento,* primum Articulum faciunt, uti verba ad marginem poſita diſertè habent, cum nec de fide, nec de ſalutè Patrum ſub V. Teſtamento vel iota in ipſo Doctorum textu ſit, quod ſanè nimis pudendum σφάλμα eſt, ne quid gravius dicamus. Ad invidiam enim Remonſtrantibus conciliandam, marginalis iſta annotatio addita eſt, quaſi videlicet Remonſtrantes credant, Patres ſub V. T. non fide tantum ſed ſalute etiam caruiſſe; quod utrumque tamen falſum eſt: In textu tantū de promiſſione vitæ æternæ agitur. An videlicet ea clarè atque in terminis facta ſit in V. T. quod ſane cū iſta marginali recapitulatione nihil habet commune. Sed textū ipſum proſequamur.

De vitâ æterna, inquiuunt Doctores, *hactenus creditum fuit in omnibus Ecclesijs promissionem ejus fuisse factam Patribus sub V. T. per semen benedictnm. Sociniani negant ullam ejus promissionem in V. T. fieri, sed ad N. T. privilegia tantum pertinere asserunt.*

De promissione vitæ æternæ, An ea in V. Fædere clarè atque in terminis facta sit.

Esto. Prius istud, scilicet promissionem vitæ æternæ fuisse factam Patribus sub V. T. per semen benedictum, concedunt Remonstrantes. Posterius, nullam ejus promissionem factam esse in V. T. negant: Ergo non cum Socinianis, sed cum Ecclesijs Reformatis sentiunt. Non disputabimus hic, an rectè Socinianis tribuatur id quod hic Doctores ijs tribuunt, nec an bona fide Doctores hic agant, cum V. Testamenti significationem non distinguunt, quod fieri tamen nõ a Socinianis tantum sed a se ipsis etiam in Synopsi sua, non possunt, aut saltem non debent ignorare, quia magnum ad causam hanc totam momentum habet: Verba tantum Doctorum veluti vestigia sequemur. *Sic verò*, inquiunt, *Apologistæ Remonstrantes loquuntur* fol. XXVI. pag. VI. *ut Socino patrocinentur. Si claræ & expressæ promissiones de salute ac vita æterna etiam libris V. T. continentur, quid opus est de ea re digladiari? Proferantur loca & conclamatum est.* & fol. CLI. pag. VI. *Certum est, præceptum fidei in Christum nuspiam in V. T. clarè traditum extare, uti neque in terminis promissionem vitæ æternæ.* Ex his verbis hoc concludunt Doctores *Hisce indicant se non existimare locum ullum clarum reperiri in V. T. quo id probari possit.* Conclusionem hanc odiosam non ventilabimus curiosè, quanquam non de loco uno, sed de locis pluribus, in quibus promissio vitæ æternæ clarè continetur locuti sunt Remonstrantes. Transeat: Doctorum hoc cacoëthes est, omnia ad invidiam Remonstrantibus tribuere. Consequentiam primò Videamus, deinde antecedens, sive rem ipsam. Consequentia hæc est, Remonstr: Apologistæ dicunt, in V.T. nullam claram, expressam atque in terminis factam promissionem vitæ æternę extare. Ergo contradicunt Ecclesijs Reformatis, quæ hactenus omnes crediderunt promissionem vitæ æternæ Patribus sub V.T. per semen benedictum factam fuisse; & Socinianis patrocinantur, qui negant ullam ejus promissionem in V. T. fieri. At quæ hujus consequentiæ species est? Nec contradictio hic apparet quæ sententię Eccl. Refo: opposita sit; nec cum Socino consensio. Non contradictio, quia propositioni isti, Ecclesiæ omnes dicunt ac credunt promissionem vitæ æternæ Patribus factam esse sub V. T. non contradicit hæc propositio, Remonstrantes dicunt ac credunt, nullam claram apertã atque in terminis promissionem vitæ æternæ

in V. T. factam esse: Utraque enim hæc propositio vera esse potest, quin & verissima est. At contradictoriarum altera necessariò semper vera, altera falsa est. Non consensio cum Socino: Propositiones enim hæ duæ diversissimæ sunt; Socinus negat ullam promissionem vitæ æternæ fieri in V. T. & Remonstrantes negant ullam claram atque expressam promissionem ejus factam esse. Hunc errorem vocat Aristoteles ἀπαιδευσίαν sive ignorationem τρόπȣ τῆς ἐπιςήμης aut ut clarius loquamur, Dialecticæ. Sed claram atque expressam fortè promissionem utrobique a se intelligi dicent Doctores. At hoc tum exprimendum clarè fuerat, ut manifesta esset contradictio ex una, & consensio ex altera parte. Antecedens itaque enthymematis hujus paulum eventilemus; *Hactenus creditum id fuit*, inquiunt Doctores, *in omnibus Ecclesijs*. Mirum qua fronte! Nam sive id de antiquioribus & primitivis Ecclesijs, sive de recentioribus intelligi velint, nihil a vero alienius. Contrarium adeo certum ac pervulgatum est, ut non modo Ecclesiæ nullæ, sed nec Doctorum quisquam seu veterum seu recentiorum reperiatur, qui id, quod Doctores adserunt, videlicet promissionem vitæ æternæ clarè in V. T. factam esse, aut crediderit aut adseruerit. Nemo adeo rudis aut infans est in scriptis veterum aut recentiorum, qui non fateri cogitur, distinctionem illam ubique occurrere, cum de discrimine V. & N. Testamenti agunt, quod in illo obscurè, in hoc clarè, in illo sub typis & umbris, in hoc apertè atque in terminis promissio vitæ æternæ contineatur. Quin imo, si Veterum imprimis scripta videantur, hodieque Pontificiorum, aliorumque, comperietur in illis discrimen fieri inter V. & N. Test: cum diserta oppositione, quod in illo *terrena*, in hoc *æterna* bona promittantur. Ita Augustinus in psal: 73. *Deus* inquit, *se utriusque Testamenti voluit esse autorem, ut terrena promitteret in veteri, & cœlestia in novo.* & in psal. 149. *Vetus Testamentum terrena promittit: Novum, æterna. In utroque sermo Dei repertus est verax,* & lib. 18. de Civitate Dei Cap: XI. *Educto*, inquit, *populo in monte Sina divinitus acceptam tradidit legem, quod Vetus dicitur Testamentum, quia promissiones terrenas habet: & per Iesum Christum futurum fuerat Novum Testamentum, quo regnum cælorum promitteretur.* Fatentur quidem Remonstrantes Augustinum aliquandò ac nominatim lib. XIX. contra Faustum cap. Ultimo, contrarium adserere & vitam æternam, sub. V. Fædere manifeste prædicatam esse affirmare, etsi regnum cælorum in eo nspiam expressè nominatum nedum promissum neget, attamen cum alibi sæpe V. Testamento non

Assertio Doctorum fallitatis manifestæ convincitur.

to non nisi terrena promissa tribuat, Novo æterna, uti ex oppositione quam ubique inter illa duo Testamenta facit, manifestum est; cumque loca quæ pro contraria sententia adfert, admodum sint infirma & ex Apocryphis fere petita, denique cum vitæ æternæ & regni cælorum eadem plane sit ratio, credendum esse exstimant, istam potius Augustini sententiam videri debere, quam hanc, quæ ex calore potius disputandi quam ex sedata mente profecta est. Quod si antiquiores Augustino Patres videantur, ij disertè omnes V. T. terrena tantum promissa contineri & novam a Christo legem latam, novamque promissionem allatam esse affirmant. Verum enimvero rationes videantur, quibus sententia ista tum Ecclesiarum, tum Doctorũ omnium nititur, & rei veritas in propatulo erit. Primum enim Scriptura disertè affirmat, *magnam salutem*, id est vitam æternam *per ipsum Christum Dominum initium sumsisse, vel primum prædicari cæptam esse*, ad Heb: II. 2. *& per Evangelium ejus vitam & immortalitatem in lucem productam fuisse.* II. Tim. I. 10. *salutarem gratiam per apparitionem Christi illuxisse, (aut patefactam esse) omnibus hominibus.* Tit: II. XI. *Legem umbram tantum habuisse futurorum bonorum, non ipsam expressam formam rerum.* Heb: X. I. *& umbram fuisse rerum futurarum, corpus autem Christi esse.* Col: II. 17. Quod, *Corpus, gratiam & veritatem appellat.* Ioannes Cap: I. 17. *Fœdus novum præstantioribus promissis sancitum esse.* Heb: VIII. 6. Atque idcircò emphaticè & contradistinctè a Lege vocari *superintroductionem spei melioris.* Heb: VII. XIV. aliaque similia plura. Deinde ex Scriptura constat, Sadducæos non minimam populi Iudaici partem, resurrectionem mortuorum, & *vitam futuri seculi*, sive æternam, negasse, quod nullo modo verisimile est eos facturos fuisse, si clarè, aperte, atq; in terminis promissiones vitæ æternæ in V. T. factæ extarent. Tertiò. Quis credat Christum Dominum argumento isto, Ego sum Deus Abrahami, Isaaci, & Iacobi, pro resurrectione mortuorum pugnaturum fuisse contra Sadducæos, si clarè atque in terminis promissio vitæ æternæ, aut resurrectionis mortuorum in V. Testamento facta fuisset? Nemo Christianus jam tali argumento uteretur, cum clara ad manum habeat loca. Denique si clarè atque apertè vitæ æternæ promissio facta fuisset in V. T. haud paulo melior fuisset conditio Patrum sub V. T. quam fidelium Christianorum sub novo est. Habuissent enim illi promissiones insuper terrenas, quas non modo non habent fideles Christiani sub novo, sed etiam quibus contrarias habent prædictones de cruce & afflictionibus. Attamen in-

Rationibus aliquot evincitur, promissionem vitæ æternæ clarã N. Testamenti propriam esse.

I.

II.

III.

IV.

inquies, Doctores probant adsertionem suam. *Nam*, inquiunt, *Iudæi ipsi ante Christum putaverunt se vitam æternam habituros ex Scripturis, quodque ea testentur de eo,* teste Christo Ioa: v. xxxix. At inquam, hoc non est adferre claram promissionem, de qua quæritur, sed tantum opinionem Iudæorum: & opinionem quidem, quam a Christo probari isto in loco non usquequaque certum est. Musculus in locũ illum annotat hæc verba, *Ecce populus Iudæorum Zelo dei præditus, opinione acquisitæ Vitæ æternæ falsus est. Non dicit, Quia vitam æternam in illis habetis: sed, Qua videmini vobis vitam æternam in illis habere.* Maldonatus in eundem locum, vult verba ista esse verba reprehendentis, hoc sensu, *Vos in illis veteribus Scripturis ita inhæretis, ut nihil, quod in illis est, abrogandum putetis, & vos illarum cæremoniarum observatione, vitam æternam consecuturos, sed non recte, quasi dicat, vos quidam ita sentitis, ego, & qui vera sentiunt, non ita sentimus*: Iuxta hanc interpretationem non modo non solide evinci potest ex hoc loco, vitam æternam in Scripturis V. T. fuisse promissam, sed contrarium plane concluditur, vid. Eam in istis promissam non esse ac proinde frustra eam in illis a Iudæis quæsitam fuisse. Et sane videri alicui posset sensum verborum horũ alium non esse, quam hunc, Vos in illis Scripturis mordicus hęretis &, eorum, quæ istis continentur, observatione servari vultis: At si recte eas scrutaremini, observaretis in ijs prænunciari & promitti Christum ex cujus ore verba vitę æternæ petenda vobis sunt: ac proinde me, qui Christus ille promissus sum non repudiaretis, tanquã si sine me vitam illam æternam consequi possetis. Sed esto: opinio Iudæorum recta & vera fuerit. Hoc tamen uti non negant Remonstrantes, ita eam opinionem non nisi privatam quorundam, & alio fundamento, quam clara promissione nixam fuisse, cur negetnr, non vident. Potuerunt enim hoc putare vel ex divinæ bonitatis & munificentiæ consideratione, vel ex traditione, vel ex figurarum & typorum penitiore observatione, vel aliunde. Et non fuisse communem istam opinionem Iudæorum omnium, Sadducæorum doctrina arguit: Unde verba hæc Christi ad Pharisæos tantum referenda esse haud obscurè liquet. Quicquid sit, Promissio vitæ æternæ clara atque in terminis facta, alleganda fuerat ex V. T. aut verba illa Christi vera esse non posse, concludendum fuerat, nisi statuatur opinionem istam a Iudæis conceptam fuisse, ex certæ & claræ promissionis Divinæ autoritate. At quorsum hoc posterius concludatur, si clara promissio exstat? Et si non exstat, quomodo id evincetur, nisi dicatis, promissionem claram tunc quidem exstitisse,

Expenditur D, D, argumentum deductũ ex loco Ioa. v. xxxix.

tiſſe, quæ jam perijt, aut clarã vocetis promiſſionem, quæ nuſpiam clarè exſtat aut exſtitit, quæ omnia abſurda eſſe nemo non videt: *Non potuerunt ſibi perſuadere*, inquiunt Doctores, *ſe vitam æternam habituros niſi ex locis illis, quibus obedientibus vita promittebatur, & inobedientibus mors intentabatur.* At primò cur non? Deinde: cur itaque ex ipſis iſtis locis id non perſuaſerũt ſibi Sadducæi? Cur ex iſtis contra Sadducæos non diſputavit Servator noſter? Tertiò, hoc ipſum, quod id non aliter quam ex locis iſtis concludere ac perſuadere ſibi potuerint, manifeſtum indicium eſt, claram atque expreſſam promiſſionem vitæ æternæ locis iſtis non contineri. Quid enim concluſione aut conſequentia opus eſt, ubi textus verba clara atque expreſſa ſunt? Quartò, quid abſurdius quam quod illud ſibi perſuadere Iudæi non potuerint niſi ex locis illis, cum videamus inter Gentiles fuiſſe, qui hoc ſibi firmiter perſuaſerunt, & de locis iſtis alijsve ne fando quidem audiverant. Nihil facilius ſibi perſuadet homo. Immortalitas & vita æterna tantum bonum eſt, ut eam Dijs immortalibus homo invideat, ait Valerius Maximus, Et quid non ſperemus amantes? Denique poſito, quod per conſequentiam ex locis iſtis id ſibi perſuadere potuerint Iudæi, hoc tamen nondum ſufficit ad evincendum expreſſam & claram vitæ æternæ promiſſionem ijs contineri. Sub generali enim promiſſo ſpecialia omnia comprehendi poſſunt: Attamen idcircò omnia ſpecialia actu ſemper eo comprehenſa non ſunt. Sed neceſſe eſt, ut, ſi iſtis locis promiſſionem vitę æternæ claram contineri volunt Doctores, ſimul etiam adſerant loca illa intelligi non poſſe, niſi promiſſio vitæ æternæ ijs contineri dicatur, ne vana atque incerta ſit perſuaſio. At qua rationis vi id fiet? Certè ratio quam adferunt Doctores, valdè frivola eſt, hæc videlicet. *Qualis mors in comminatione locis iſtis expreſſa, intelligitur, talis vita, ex vi oppoſitionis, in promiſſione eſt intelligenda. At mortem æternam intelligendam eſſe* conſtat ipſis etiam adverſarijs. Ergo. Utraque propoſitio laborat: Major, quia diſpar eſt ratio comminationis & promiſſionis, mortis æternæ & vitæ æternæ. Mortem æternam comminari poteſt Deus peccantibus, ex vi & merito peccati, quod per ſe æternam mortem meretur; Imo ex propria Doctorum aſſertione, ut Deus peccatoribus, qualecunque tandem peccatum ſit, mortem æternam comminetur, aut infligat, per naturalem juſtitiam ſuam obligatur. At ut obedientibus vitam æternam promittat, nec ex natura ſua, nec ex merito obedientiæ obligatur. Quare ex vi oppoſitionis non rectè nec merito ſibi quis perſuaſerit, vitam æter-

Solvitur argumentum D. D. ab oppoſitione vitæ & mortis ſumtum.

nam verbis promissionis istius, qua vita in genere promittitur, contineri, quia mors æterna continetur comminationis verbis, quibus mors in genere denunciatur. Nec minus laborat minor propositio; Mortem enim æternam propriè dictam illam, quę pęna ęterni sensus dicitur, & vitæ æternę opponitur, comminatione istâ intellectã, aut comprehensam esse, an ij qui Christi tempore vivebant Iudæi, crediderint aut persuasum habuerint, incertum est; & Sadducæos quod attinet, qui non minimam istius populi partem faciebant, falsum. Incertum dicimus, quia sunt, qui olim inter Pharisæos fuisse, hodieque inter Iudæos esse asserunt, qui cum æternæ vitæ præmium justis datum iri concorditer credant, impios tamen aut nullos, aut non omnes resurrecturos, sed animam eorum una cum corpore interituram esse, apertè profitentur, & mortem comminatione ista, de qua hic agitur, contentã, de miserijs ad hanc vitam pertinentibus, aut de morte non naturali, sed præmatura, infami, violenta exponendam esse contendunt, prout ex Drusio & Scaligero in libris de tribus Iudæorum Sectis, aut Trihæresium, alijsque cuivis manifestum esse potest. Deinde, etsi sub vocabulo *Mortis*, æterna illa mors comprehendi possit, & a nobis comprehendi non negetur, qui jam extremam Dei voluntatem ex Evangelio Christi cognitam habemus, tamen nec ex vi vocabuli, nec ex usu Scriptoribus Vet. Testamenti recepto, necessariò colligitur eam comminatione ista contineri, prout Iudæi ipsi ferè omnes apertè fatentur. Quare ut hoc solidè evincant ac demonstrent Doctores necesse est. Quod si clarè id non queant evincere, argumentum suum ipsi enervant, quamquam si id omnino evincerent, certissimum nihilominus foret, id quod dixerunt Remonstrantes, Promissionem vitæ æternæ clarè, expresse atque in terminis factam nullam in V. Test: reperiri. *At.* inquiunt Doctores, *expresse mentio fit vitæ æternæ* Dan: XII. II. At, inquam, hoc ad rem non facit: Nam I. Aliud est mentionem fieri vitę æternę in Scriptura V. Test: aliud promissionem. Nuspiam negarunt Remonstrantes mentionem alicubi fieri vitę æternę: Socinus ipse id agnoscit, & hunc ipsum locum ad id probandum adducit. II. Aliud est mentionem fieri vitę æternę, apud Prophetam unum; aliud in fędere ipso promissiones expressas exstare. Istud ad summum arguit, Danielem credidisse, aut intellexisse Deum sub promissionibus fęderi annexis, & typis atque figuris temporalium bonorum involutis, vitę æternę promissionem etiam comprehendisse, quod non negant Remonstrantes. At hoc ut evincatur, promissione expressa & clara fœderi annexa opus est.

Expenditur locus Daniel XII. cap: vs. II

III. A-

III. Aliud est prędicere id quod futurum est temporibus ultimis: aliud affirmare id ipsum in Fędere Vet: promissum esse, & clarè revelatum. Istud in Prophetia Danielis est, non hoc IV. Sed nec desunt inter Reformatos eosque Prædestinationis acerrimos adsertores, (ut multos Iudæorum taceamus) qui hunc ipsum Danielis locum de vita æterna primò & per se intelligendum non esse, multis argumentis conantur evincere, securi quod idem aliquando fecerit Prophyrius, quem eo nomine graviter taxavit Hieronymus, aut quod contrarium sentiant plerique Theologi, & nominatim *Calvinus* in Comment. suo. Videantur si placet Scholia *Thomæ Brightmanni* Theologi Angli: *in partem ultimam & difficillimam Prophetiæ Danielis* a Cap: XI. XXXVI. ad finem usque capitis XII. qua, uti ait, *Judæorum tribus ultimis ipsorum hostibus funditus eversis, restitutio, & ad fidem in Christum vocatio vivis coloribus depingitur.* Prolixè ibi examinat locum hunc & in utramque partem argumenta ventilat, sed concludit tandem in hæc verba. *Quamobrem necesse est, ut particularem aliquam Ecclesiæ restaurationem interpretationi illi generalis resurrectionis præferamus*, & postea. *Nullam jacturam facit fides, etsi quantum cuique loco debet, ingenuè agnoscat. Quænam igitur est hæc resurrectio? plena restitutio gentis Iudæorum, & vocatio ad fidem in Christum.* Post ad hanc refert verba de vita æterna, quam sic appellari dicit a Daniele, *non solum quia conversi Iudæi ea fruentur in cælis, sed quia perpetua felicitas erit in terris, contaminanda rursum nullis communibus temporibus pro more priorum seculorum, sed quæ pura sinceraqua fluet ad migrationem usque in cœlos* &c. Locus prolixior est, quam ut describatur. Tu Lector videsis illum, & si libet eundem autorē in Cap: XX. Apocal. vs. XI. ubi hæc ejus verba sunt *Neque dubito quin Daniel idem voluerit per illos multos ex dormientibus in pulverulenta terra expergiscentes, alios ad vitam æternam, alios ad opprobrium æternum Cap: XII. II. & III. Nec enim multi sunt omnes, sed consultò hoc vocabulum adhibitum videtur, ut poneretur discrimen inter generalem & hanc resurrectionem. Præcipuum etiam honorem tribuit erudientibus, & justificantibus alios, non tam ob præteritos in vita labores, quā propter præsentem operam & industriam. Nam erudientes, inquit, splendebunt* HAMMASCH-KILIM *non qui erudierunt. Quorum nihil post ultimam resurrectionem futurum scimus.* Atque hæc idcirco allegamus, non quia scopus noster hic est indicare quod explicationē illam probemus, aut ab alijs probari cupiamus, sed tantū ut demonstremus, probationē quam ex loco isto desumunt Doctores, ijs etiam, qui alioquin sententiæ ipsorū de Prædestinatione

favent,

favent, infirmam atque invalidam videri, ac proinde non clarè ex loco isto evinci, quod demonstratum ex eo putant ac volunt. Et tamen hic locus si non unus, saltē præcipuus est locus in quo aperta vitæ æternæ mentio fit. Veruntamen antequam finem faciamus, unum coronidis loco addendum venit, nempe, quæ hujus articuli aut dogmatis credendi necessitas sit. An videlicet, posito quod verissimum sit, vitæ æternæ promissionem, seu directè, seu indirectè claram in V. Test: factam esse, periculum salutis incurrat is, qui id aut ignorat, aut negat, aut in ambiguo relinquit. Profectò si quis serio rem perpendat, nullum in ea re sic aut aliter credenda periculum positum esse posse, cogetur fateri. Nuspiam enim mandatum ullum exstat ut fideles sub N. Test. istud credant; Nec ratio ulla est, quæ fidem & obedientiam universam, quæ a fidelibus in N. Test. requiritur, absque istius cognitione salvam & integram constare non posse, evincit. Imo ratio manifesta cogit, ut fidem eorum, nihilominus salvam & integram constare posse, credi debeat. Fidei enim Christianæ, quatenus promissa respicit, objectum est, istud bonum quod Evangelio continetur, & forma fidei istius est promissi istius boni applicatio ad ipsum, in quo fides est. At hæc constare possunt, adeoque etiam constant, etiamsi non intelligatur aut nesciatur, quale fuerit objectum fidei eorum, qui ante Evangelium vixerunt, proinde quæ fidei istius forma specifica fuerit. Eadem est ratio Christianę obedientię. Neque verò dici potest ex ignorantia aut errore isto, si videlicet quis nesciat aut neget objectum fidei eorum, qui ante prædicationem Evangelij vixerunt, fuisse claram vitæ æternæ promissionem, periculum aliquod metuendum esse fidei aut saluti eorum, qui ante tempora Evangelij vixerunt. Illi enim jam in fide sua mortui sunt, qualecunque tandē ejus fuerit objectum, aut qualiscunque fidei eorum forma. Atque hoc cum tam clarum sit, ut nihil supra, mirum merito videri debet, quod Doctores, hoc dogma, caput & principium excerptorum suorum esse voluerint, quasi id, quod de eo credere dicunt Remonstrantes, capitalis error sit & palmarius, propter quem gravissimè censeri, ac tantum non anathematis rei pronunciari mereantur. Hinc patet verissimum esse quod diximus. Nihil minus curare Doctores, quam ut necessaria, a non necessarijs ad salutem dogmatis distinguant, sed omnia etiam quæ non necessaria esse vel palpari potest, paribus atque necessaria, calculis æstiment, qua re gravissimam existimationi suæ injuriam fecerunt.

Ostenditur non esse scitu aut creditu ad salutem necessarium, in V. Fœdere clarā aut apertam vitæ æternę promissionem factam fuisse.

Secun-

II. Specimen.

SEcundum, quod excerpunt Doctores, præteriri hic à nobis posset, quia jam antè de eo fusè actum est. Sed juvat auctarij loco ijs quæ dicta sunt, nonnulla adijcere, & ex professo huic excerpto respondere. *Ex ijs*, inquiunt Doctores, quæ ad quæsitum eorum responderunt Remonstrantes in Apologia sua fol: XXXII. pag: 2. *constat, propositiones istas. 1. In una divina essentia sunt tres personæ. 2. Filius Dei est ab æterno. 3. Filius Dei est genitus ex Patris substantia. 4. In Christo est unio hypostatica duarum naturarum. 5. Spiritus S est persona divina a Patre, & Filio distincta: constat, inquam, per Remonstrantes tales esse, quas qui non credit, Christus non damnat, nec expresse, nec per consequentiam necessariam, aut evidentem collectionem.* Primò, certum est, in Apologia non adfirmari quod propositiones istæ tales sint, quas Christus non damnat nec expresse, nec per necessariam consequentiam, aut evidentem collectionem, sed hoc tantum concludi, atque inferri a Doctoribus ex Apologiæ verbis. Secundò. Certum est, Doctores verba Apologiæ non bona fide citare, sed longè dissita, & quæ occasione alia atque alia dicta sunt in Apologia, connectere, tanquam si eodem filo, & immediatè sibi invicem cohærerent, quod factum sane non oportuit: Nam primò, Remonstrantes non negant disertè, quæstionum istarum decisiones simpliciter & præcisè cognitu ad salutem necessarias esse, quin contra apertè dicunt, se ea de re, an videlicet per evidentem consequentiam ex Scripturis constet (quod enim ῥητῶς in Scripturis decisæ non sint utrimque in confesso est) eas cognitu necessarias esse, sententiam suam nunquam interposuisse. Deinde, non dicunt simpliciter se pronunciare non audere de absoluta & simplice earum necessitate, sed tantum dicunt, se, occasione eorum, quæ ante dicta erant, causam habere, cur pronunciare id non audeant, quia videlicet Pontificij, qui eas necessarias esse credunt, earũ tamen decisiones nec ῥητῶς nec per consequentiam evidentem in Scripturis factas esse affirmant. Denique, non dicunt simpliciter, quasi respicientes ad has quęstiones, se neminem damnare velle, nisi quem Christus vel expresse damnat, vel tam evidente collectione, ut non minus palpari possit, quã hæc, currit, ergo movetur. Sic enim viderentur dicere, Christum nec expresse nec per evidentẽ collectionẽ damnare eas, quod primæ eorum positioni, quæ ἐξοχὴν continet,

Mala fides D D. in speciminis hujus propositione detegitur.

net,

net, directè contradiceret. Sed hæc verba tantum ſubjungunt prioribus, quibus dixerant, paratos ſe audire, & ſubſcribere rationibus Doctorum, ſi quas haberent, quibus neceſſitatem propoſitiones iſtas ſciendi aut credendi evincant. At ſi ſine rationibus id credi velint, alio ſe animo eſſe, *Nec enim quemquam damnare volumus*, inquiunt &c. Tantum valet quo animo & fide excerpta fiant. Sed eſto, demus bona fide hæc inter ſe connexa eſſe a Doctoribus, tum addimus, Tertiò: Conſequentiam hanc Doctorum nullo modo procedere, niſi ſupponant quæſtiones has tales eſſe, ut nec expreſsè, nec tam evidenti collectione, qualis hæc eſt, currit, ergo movetur, ex Scripturis colligi poſſit eas ad ſalutem cognitu neceſſarias eſſe: Nam hæc Remonſtrantium major eſt. Cui minorem quia non ſubſumunt, profectò æquum, adeoque neceſſarium eſt, ut Doctores qui eam ſubſumunt, eandem certam ac per ſe claram eſſe ſupponant ac fateantur. Alioquin ut Remonſtrantibus tribuant, quod credant eas ſcitu neceſſarias non eſſe, ineptum, adeoque impoſſibile eſt. Nam Remonſtrantes, minorem propoſitionem quod attinet, ἐπέχουσι; Probationem ejus ijs relinquunt, qui eam certam eſſe volunt & cauſſas dubitandi nullas habent. Dubitandi autem cauſſæ, quas Remonſtrantes habent, hæ ſunt, quarum in Apologia fit mentio I. Quia certum eſt propoſitiones iſtas ῥητῶς & prout iacent, deciſas non eſſe in Scriptura, fatentibus id ipſis Pontificijs. II. Quia certum eſt, myriadas Chriſtianorum alioquin proborum piorumque eſſe, qui profundâ earum ignorantia laborant. III. Quia certum eſt, infinitos eſſe pijſſimos etiam & Dei reverentes, tum viros tum mulieres, qui evidentem iſtam conſequentiam ſe, quicquid omnes ingenij nervos intendant, videre non poſſe profitentur (ut non dicamus jam eſſe ac fuiſſe omni ævo non paucos eruditione claros viros, qui conſequentiam iſtam non modo non evidentem ſed & falſam eſſe adfirmare non dubitarunt) imo qui ſe blaſphemos aut idololatras futuros metuunt, ut *Zanchius ait in præfat: libri ad Grindallum Eboracenſem*, ſi unam iſtarum propoſitionum admitterent; quos tamen idem Zanchius, *fratres ſuos minime negligendos* vocat, *qui ſcrupis blaſphemiæ & idololatriæ premuntur metuentes ne blaſphemi & idololatræ eſſe convincantur, ſi Chriſtum Deum confiteantur, quique Zelum prætendunt quo mirum in modum affici videri volunt, gloriæ Patris*. IV. Nec minus certum eſt inter eos ipſos, qui rem propoſitionibus iſtis comprehenſam firma fide tenent, eſſe non paucos, qui ſolo terminorum odio conſequentiam evidentem eſſe negant. Nimirum novos, Sacris Scriptoribus inuſita-

Recenſentur cauſſæ aliquot quæ Remonſtrantes movent ut propoſitiones illas creditu ad ſalutem neceſſarias eſſe, nõ audeant ſtatuere,

ſitatos, dubios, ἀμφιρρεπεῖς eſſe vident, & infinitarum litium ſeminaria, quæ rem & rei veritatem involvunt potius quam explicant, adeoque ſuſpectam magis reddunt quam claram. Ac licet rẽ enunciari non poſſe, niſi ope terminorum quorundam fateantur, tamen illorum ipſorum humanorum terminorum credendorum neceſſitatem a rerum divinarum credendarum neceſſitate diſtinguendam eſſe, paſſim inculcant, & qui ſaniores ſunt terminos omnes exterminatos cupiunt, præter illos, quos ipſe Dei Spiritus dictavit, & quibus ille auguſtam myſterij hujus majeſtatem enunciavit. Alioquin litium rixarum & diſſenſionum de vocabulis & loquendi modis, nec modum nec finem eſſe. Res docuit. Trinitatis & ὁμουσίυ vocabulum Luthero diſplicuit. Synodus Sardica ὁμουσίυ vocem omittendam cenſuit, illoſque tantum excommunicavit, qui vel tres Deos, vel Chriſtum non Deum, vel Patrem Filium & Spiritum S. unum eundemque, vel Filium ingenitũ dicerent. Smyrnenſis, ὀσίας vocabulum, propterea quod a Patribus ſimplicius poſitum & populis incognitum offendiculum pareret, amputandum decrevit, ejuſque mentionem nullam deinceps fieri debere judicavit, cum quidem divinæ litteræ nomen ὀσίας nuſquam Filio, nuſquam Spir: S. tribuant, ſimilem autem per omnia Patri Filium doceant. Hilarij ſententiam, quæ tres in Trinitate ſubſtantias & ὑποςάσεις pluſquam centies agnoſcit, ſacrilegam vocat Hieronymus & in ea venenum latere dicit. Formulam Symboli Niceni, *Deum de Deo lumen de lumine*, duram vocat Calvinus, & in qua manifeſta βαττολογία eſt, quin & carmen cantillando magis aptum quam Confeſſionis formulã. Vocabula Relationis realis, damnant Nominales: Reales probant. Diſtinctionẽ realem, formalẽ, ex natura rei & rationis in controverſiam vocant Scholaſtici. Modalis, nuperũ commentũ eſt quorundã, a quo alij abhorrent, alij cauſſam credendi arripuerũt, perſonas nil niſi modos eſſe, ac proinde perſonas nõ realiter ſed modaliter tantũ inter ſe diſtinctas eſſe; ut jam non dicamus de diſtinctionibus inter perſonã, ſuppoſitũ, ſubſiſtentiam, eſſentiam, naturã, alijſq; ſimilibus infinitis Philoſophię arcanis, quibus involuti nonnulli curioſiores, coacti tandẽ fuerunt ſcrutiniũ vertere in religionẽ, & quod inquirẽdo penè perdiderant, adorando ſervare: Nec mirũ, longo ſtudio, pertinaci labore, indefeſſa cõtentione ingenij opus eſt ut termini & terminorũ propriæ definitiones recte intelligantur, & cũ jam intelliguntur ad mentẽ cujuſq; Doct: annis opus eſt ut quę circa eas moventur controverſiæ, non dico ſolidè dijudicentur, ſed accuratè pervideantur. Singulę controverſiæ totidem ſcopuli ſunt, in quos

 niſi

nisi admodum circumspectus sis, non minus facile quam periculose impingitur. Quare cum hæc ita se habeant, nemo homo est, qui non facile videt, caussas non leves esse, cur Remonstrantes dubitare se dicant, an propositiones illæ censendæ sint in numero illarum, quæ per evidentem consequentiam ex Scripturis deducuntur, sive quæ sine manifesta hominis culpa ignorari, in dubium vocari, aut negari non possunt. Ut in ijs, qui illas aut ignorant aut negant, aut in dubium vocant, manifestam culpam esse credant, adduci non possunt. Myriades sunt istorum hominum, quos non scelerum tantum puros, sed vitæ integros, Divinæ Majestatis reverentes, suæ salutis nec prodigos nec incuriosos, quin imo audacibus istis assertoribus aut curiosis indagatoribus multo meliores esse fateri coguntur, si dicta ac facta illorum cum dictis ac factis horum comparentur. Verum quidem est, Doctores ægerrime non hic tantum, sed & passim in his excerptis ferre, quod Remonstrant: eos non probos tantũ piosque, sed superlative *pijssimos* vocent, quasi
κακοζηλία D. D. tales non modo non pijssimi, sed ne pij quidem ac probi censeri mereantur. At uti superlativus iste gradus ad grammaticam libellam exigendus non est, sed ad popularem aut communem loquendi morem accipiendus, qua doctissimi pro valde doctis, & pijssimi pro valde pijs vocari solent, ita caussa non est cur Doctores, istos tales in catalogum piorum referri nolint. Nam quid est formale istud, quod actiones eorum a vere piorum actionibus discriminat, ut pietatis elogio indignæ nobis videri debeant? Errant inquies; Esto, at affectu piæ opinionis errant. Non credunt tamen recte: At credunt omnia quæ expresse in Scripturis revelata sunt. At non omnia necessaria credunt. Imo vero necessaria omnia in Scripturis expresse revelata esse, ita ut interpretatione nulla indigeant, ipsi vestri Theologi affirmant, & vos, quicquid Scripturis non continetur, etiamsi verissimum sit, non necessarium tamen dogma esse adseritis. At, inquies, exprefsè revelata credi debent ea omnia etiam quæ per evidentem consequentiam ex expressis deducuntur. Esto, At, an ea quæ isti errantes non credere dicuntur, per evidentem consequentiam ex Scripturis deducantur, controvertitur. Quare si pietas illorum suspecta est, & vestra pari suspicione gravari meretur. At fides vera non disceptat de istis inquies: Quo judice inquam? Benignius multo Salvianus olim censuit, *Patientia Dei,* inquit, *quandoquè facit hæreticos plenam cognoscere veritatem, cum sciat eos forsita Catholica non indignos fide, quos videt Catholicis vitæ comparatione* præstare. Enimvero superba atque impotens arro-

arrogantia eſt, neminem præ ſe pium probumve cenſere, pietatem non niſi ex conſenſione ſecum æſtimare, diſſentientes omnes licet caſtigatiſſimæ vitæ eodem impietatis carbone notare & ex proborum albo expungere,perinde quaſi pietatem faciat ſententia non animus,opinio non vita,ſcientia non opera. Fidem itaque rectam non requiritis, inquies ad pietatem? Abſit. Fidem requirimus, & neceſſariam eſſe dicimus, ſed earum rerum quæ ſine manifeſta homins culpa ignorari, negari aut in dubium vocari non poſſunt. Cætera omnia, uti ignorari ita non recte credi poſſunt ſine pietatis periculo aut diſpendio. An hæc de quibus hic agitur in hunc aut illum ordinem referenda ſint, non audent definire Remonſtrantes,quamdiu rationes non vident, quæ in alteram partem præponderant. Eas ſi videre poſſunt Doctores, & oſtendere ut ab ipſis etiam videantur, habebunt utique eos ſuffragatores extemporaneos qui nō pedibus tantum ſed toto corpore deſcendent in eandem cum ipſis ſententiam. Alioquin ſuſpendere malunt judicium ſuum quam præcipitare. Videntur quidem Doctores κριτήριον illud Remonſtrantium,ad quod dijudicari volunt neceſſaria dogmata,in dubium vocare,ſed ex obliquo potius quam ex profeſſo: Nec mirum; κριτήριον illud ſua luce ſplendet, & ex terminis, ut prima mentis notio,intelligitur. Atque hæc cauſſa eſt, inquiunt Doctores,cur in Symboli Athanaſiani,ut vocatur,præfationem,*Quicunque vult ſalvus eſſe,ante omnia credat oportet* &c. *ita involent*,ut non dubitent profiteri eum limitem juris prætergreſſum eſſe,cum Symbolo iſti *ſuperbam iſtam præfationem* præſcripſit. *Involandi* verbum nimis acre eſt. Rem fatentur Remonſtrantes. Præfationem ſc. iſtā nimis ſuperbam eſſe, qua myriades Chriſtianorum, qui Symbolum iſtud aut ignorant, aut prout conceptū eſt,plenâ animi fiducia admittere non audent, alioquin parati divinis omnibus verbis ac phraſibus ſubſcribere, Orco deputantur & ex albo vitæ æternæ delentur. An Symbolum iſtud Athanaſij Symbolum ſit, non putant operæ pretium eſſe ut ſolicite inquiratur. Ne Doctores quidem ipſi id audent affirmare imo non obſcure ſignificant ſe hæſitare. Nec mirum, ſunt enim indicia non levia, & autores non vulgares ex quibus non ſine magna veriſimilitudine colligitur, Athanaſio Symbolū iſtud tribuendū non eſſe. Ut ut ſit,Remon: profiteteri non dubitant, Cujuſcunque tandem autoris hoc ſit Symbolum, præfationem illam nimis tumidam ac ſuperbam eſſe,& non niſi ijs placere poſſe, qui neceſſaria ad ſalutem dogmata clarè ac perſpicuè in Scripturis enunciata eſſe credi nolunt. Hoc qui credunt,

Iudicium Remonſtrantiū de præfatione Symboli Athanaſiani vulgo dicti defenditur.

ijs religio est alijs quam Scripturæ verbis fidem & conscientiam omnium obstringere. Divinis phrasibus hoc privilegium competit non humanis. Et si alicubi, certe in ijs quæ divinæ Majestatis cognitionem spectant, hoc manifestum est, quia ὑπὲρ τὰ γεγραμμένα nec dicere quicquam nec intelligere possumus de Deo, juxta auream istam Damasceni sententiam, οὐ δυνατὸν παρὰ τὰ θειωδῶς ὑπὸ τῶν θειῶν λογίων τῆς τε παλαίας καὶ καινῆς διαθήκης ἡμῖν ἐκπεφασμένα ἤτοι N.B. εἰρημένα καὶ πεφανερωμένα εἰπεῖν τι περὶ θεοῦ ἢ ὅλως ἐννοῆσαι. Hoc est, *Fieri non potest, ut præter ea quæ divinitus in divinis oraculis Veteris & Novi Testamenti nobis patefacta imo enunciata ac revelata sunt, aliquid de Deo dici aut prorsus intelligi queat*, lib: I. de Orthodoxa fid: cap. II. Quare judicium hoc Remonstrantium non ex contemtu rerum Symbolo isto contentarum, sed ex reverentia Scripturarum & divinæ Majestatis religiosa veneratione profectum videri debet.

III. Specimen.

TErtium, quod sequitur, plane quæsitum est ad invidiam faciendum Remonstrantibus & odium in eos inflammandum. Verba eorum non recitantur bona fide. Transponuntur periodi, & qua occasione singula dicta sint, obscuratur: Tum, sic enunciantur transposita, acsi propositum sibi habuissent Remonst: divinę essentię immensitatem nō modo in dubium vocare, sed & invidiā facere ijs, qui eam tuentur ac defendunt, cum utrumque præter mentem ac scopum Remonstrantium esse verba tam clare arguant, ut nihil supra. Videantur tantum ea quæ ad marginem posita sunt, & utrumque Sole clarius erit.

Defenditur Apologia Remonstrantiū, quæ Deum secundum essentiam suam ubiq, adeoque extra omnia locorum spatia esse non expressè definivit.

Sic sonant. *Remonst: quamquam nō negant Deum secundum essentiam suam ubique esse, tamen cum S. Scriptura loqui maluerunt, quæ modum divinæ præsentiæ nuspiam definit.* Ex istis verbis patet, Remonstrantes, Deum secundum essentiam ubique esse, expresse non definivisse in Confessione sua, non quia negant id verum esse, sed quia Scriptura id nuspiam definivit. Atque hoc ipsum idcirco ab ijs dictum apparet ex contextu orationis, quia Censores *oblique & ambiguè* Remonstrantes locutos dixerant, cum Deum quidem ubique præsentem esse affirmassent, sed tamen non definivissent, an ubique locorum tam in terra quam in cælo, *atque etiam extra illa atque omnia locorum spatia sit* secundum essentiam suam.

Istis

Iſtis enim Cenſorum verbis opponunt hæc ſua, *Si idcirco obliquè & ambiguè locuti ſunt Remonſtrantes, tum neceſſe eſt, ut Scripturam etiam obliquè & ambiguè de divinâ omnipræſentia loqui affirmetur. Nuſpiam enim iſta locutione utitur Scriptura*, Deum ſecundum eſſentiam ſuam ubique eſſe, nedum ut addat, eum non in cœlo & in terra tantum, ſed & extra illa atque omnia locorum ſpatia eſſe ſecundum eſſentiam ſuam. Ineptàm atque odioſam iſtam cenſuram retortam tantum voluerunt in ipſos Cenſores, qui dum Remonſtrantes atroci ſuſpicione affectatę ambiguitatis gravant, Scripturam Sacram eodem convitio mactatam ac confoſſam voluerunt. Atque hinc etiam manifeſtum eſt quam non modo audax & temeraria ſed vana, abſurda, atque iniqua ſit illa Doctorum aſſertio, cum dicunt idcirco Remonſtrantes non fuiſſe auſos definire Deum ſecundum eſſentiam ſuam ubique eſſe, *ne cogantur a Vorſtio diſcedere*; Quaſi vero aut *Vorſtio* aut cuiquam mortalium Sacramentum dixiſſent Remonſtrantes. Longe alia mens, alius animus eſt Remonſtrantibus. Non ſunt ſervi hominum. Adorare homines & eorum placita, idololatria eſt: Contrarium plane propoſitum eos habuiſſe verba contextus arguunt. Ne videlicet cogantur accedere ſuperbis atque audacibus iſtis determinatoribus, qui dum perfectionem & perſpicuitatem Scripturarum firmis lateribus ubique aſſerere videri volunt, ubi ad rem venitur, extra & præter Scripturas dictatoriâ autoritate & pro arbitratu ſuo quidlibet pene definiunt ac determinant, etiam in rebus iſtis, quæ ſupra captum humanum ſunt, & in quibus, ſicut non minus facile quam periculoſe erratur, ita ἐπέχειν erudita inſcitia & tuta ignorantia eſt. Tum qui non contenti iſta definiendi temeritate ac licentia, magno cum faſtu ac ſupercilio (uti temeritatem fere comitari ſolet αὐθάδεια,) definitiones & placita ſua pluris fieri volunt quam ipſas Sacroſanctas Scripturas, dum eos qui intra Scripturarum locutionem ſtare amant & definitionibus iſtorum hominum nihil minus quam Scripturalibus accedere gravantur, hæreſium pene omnium ſuſpicionibus onerare non dubitant, quaſi minus oblique minus ambigue loquantur, qui phraſibus humana induſtria elaboratis divina myſteria efferunt, quam qui gaudent uti divinis, & quas ipſe omniſcius Dei Spiritus dictavit. Ab hiſce tam protervis dictatoribus ut alienos ſe eſſe oſtenderent, intra Scripturæ locutionem ſeſe coarctarunt Remonſtrantes cum de divina Omnipræſentia ſententiam ſuam dixerunt,

relin-

relinquentes interim ſuum cuique liberum de Omnipræſentiæ modo judicium. Nimirum ita ſecum putabant: Non neceſſarium eſſe ut modus iſte definiatur, quia altum de eo in Scriptura ſilentium eſt. Quicquid autem in Scriptura non eſt, etiamſi veriſſimum ſit, neceſſarium tamen ad ſalutem dogma non eſſe, ipſi hi Doctores fatentur. Deinde *tutiſſimum* eſſe ne definiatur, quia ſic infinitis & pene inextricabilibus quæſtionibus & diſceptationibus obex ponitur, quibus multorum ingenia, alioquin fæliciſſima, & ad optima quæque nata, veluti torrentibus quibuſdam aut obruuntur aut abripiuntur in ſalebras dubitationum, hæſitationum, ac tandem in ipſum impietatis gurgitem, id eſt, divinæ Majeſtatis vilipendium. Nempe diſputari ſtatim audiunt, Si Deus ſecundum eſſentiam ſuam immenſus eſt, an itaque eſſentia Dei ſit extra ea quæ creata ſunt. Si non, quomodo ergo ſit immenſa. Si extra ea, quid extra ea ſit: Si nihil, quomodo in illo? Si aliquid, unde id ſit, ſi creatum non ſit. Si imaginarium quid eſſe dicatur, ecquid illud ſit, & quomodo eſſentia ſit in imaginario, quod non eſt, ſed eſſe fingitur. Tum ſi eſſentia ſic ſit immenſa, quomodo & ubi aliqua creata eſſentia ſit: Eſſentia enim creata non eſt eſſentia divina, ergo aut extra eſsentiam, aut ſi non eſt extra eam, eſt ipſa eſsentia illa, & ſic omnia ſunt Deus & divina eſsentia. Hiſce dicimus ineptis atque inextricabilibus, nec minus moleſtis ac faſtidioſis diſceptationibus obicem ponit, qui cum Scriptura ſimpliciter & reverenter loqui amat de divina omnipræſentia, modum autem omnipræſentię ſcrutari extra Scripturas curioſitatem putat non minus periculoſam quam difficilem, & eorum propriam qui pedibus fimum ſcalpturiunt, unde nullum bonum granum eruitur. Utinam hoc non in hoc tantum argumento, ſed in compluribus alijs animadverteret Chriſtianus orbis! Diſputamus pene de omnibus ſine diſcrimine & ſine hæſitatione: Arcana omnia ſcrutamur, neque quicquam impervium putamus ingenio noſtro. Nuſpiam, diſputando, quærendo, inveſtigando conſiſtimus. Et quid fit? Ubi diu multumque diſputavimus de ijs quæ ſupra nos ſunt, plures Soli nubes atras denſaſque objectas videmus, quam diſcuſſas. Simplex & nuda veritas involuta jacet pannis iſtis ſubtilitatum, ut non appareat, & quod dolendum maxime eſt, tandem curioſitatis nimiæ præmium fit, ſtultitia aut ἀθεότης. Quanto ſatius faceremus, ſi ſimplice ac clara Scripturarum veritate contenti, epicedium ſcriberemus iſtis difficilibus nugis, ac proinde etiam in hoc, de quo agimus argumento, Deum ubique eſſe agnoſceremus, quod paſſim Scriptura clamat: de

Remonſtrantes credunt, Non eſſe neceſſarium ut definiatur, quomodo Deus ſit ubique, ſi modo credatur, Deum revera ubique eſſe, Et tutiſſimum ut non definiatur,

modo

modo autem contendere, de quo Scriptura nuſpiam vel verbulo meminit, ſupervacaneum putaremus. Non damnabimur ſi neſciamus quomodo Deus ubique ſit: Nec pietatis cura laborabit, ſi iſto ſcientię tibicine non fulciatur. Sufficit ad ſalutem, ſi Deum O pt: Max: ſancte colamus, honoremus & invocemus in omni vita noſtra. Ad pietatem, ſi eum omnibus conſilijs, cogitationibus, ſtudijs & actionibus noſtris intereſſe perſuaſiſſimum habeamus. Si quibus libet in arcanum divinæ Omnipræſentiæ modum altius deſcendere fruantur ſcrutinio & judicio ſuo. Nos hac ratione pietati & caritati litandum putamus, quę utraque altercationibus iſtis ſuffocatur & eliditur. Summa noſtræ Religionis ut recte ait Eraſmus, eſt pax & unanimitas. Ea vix conſtare poteſt niſi de quam fieri poteſt, pauciſſimis definiamus & in multis liberum relinquamus ſuum cuique judicium, propterea quod ingens ſit rerum plurimarum obſcuritas, & hoc morbi fere innatum ſit hominũ ingenijs, ut cedere neſciant, ſimulatque res in contentionem vocata eſt, quæ poſteaquam incaluit, hoc cuique videtur veriſſimum quod temere tuendum ſuſcepit. Hoc demum eſt eruditionis Theologicæ, nihil ultra quam ſacris literis eſt proditum, definire; verum id quod proditum eſt, bona fide diſpenſare. Multa problemata nunc agitantur, quę multo magis conveniebat, in illud reijcere tempus quum ſublato ſpeculo videbimus Deum de facie ad faciem. Inter hæc etiam, quod hic diſceptatur de divinæ Omnipræſentiæ modo, dummodo Omnipræſentiæ divinæ veritas extra dubium ponatur, referendum eſſe arbitramur. Quod Doctores addunt Remonſtrantes in Apologia ſua *odioſe ea conquiſiviſſe verba, quibus invidiam concilient doctrinæ Dei de immenſitate*, nimis apertum eſt convitium. Cur enim invidiam doctrinæ iſti conciliarent, cum aperte fateantur ſe eam non negare? Quæcunque dixerunt ea tantum oppoſita voluerunt ijs, qui veritatis iſtius credendæ neceſſitatem urgent, quaſi Chriſtianus ſalutis æternæ particeps eſſe non poſſit, qui de ea quicquam certi definire non audet ſed judicium ſuum ſuſpendit, nulla alia cauſſa aut ratione motus, quam quod Spiritus S. nihil de ea expreſſe in Scriptura ſacra definivit, & quod definitionem illam conſtare videat tot ſubtilitatum tricis apiniſque ut acutiſſimorum ingeniorum acies ad ea hebeſcant, & ut ut ſe expedire ſatagant, pluribus triicis involutæ hæreant, ac tantum non obſtupeſcant, quin imo fateri tandem cogantur, veriſſimum eſſe quod ille ait,

Nescire velle quæ Magister optimus
Nescire nos vult, erudita inscitia est.

IV. Specimen.

An Præscientiam futurorũ contingentiũ. Deo competere scitu ac creditu ad salutẽ sit necessariũ.

QVartum specimen est ejusdem commatos. Uti anus ad armillam, ita Doctores hi ad eundem semper paralogismum recurrunt. Sociniani negant præscientiam Dei ratione futurarum & contingentium rerum: Remonstrantes disquiri permittunt an necessarium scitu ac creditu sit, ad hoc ut Deus rite colatur, præscientiam futurorum contingentium Deo competere, Ergo. Nemo non videt quam longe hæc inter se distent: Et ut res tota clarius elucescat, quam turpiter scilicet hic impingant Doctores, hæc vide sis lector. Miris modis seu prudenter seu imprudenter involvunt Doctores quęstionem de veritate hujus Articuli cum quæstione de necessitate, usque adeo ut conjectura opus sit, an a Remonstrantibus veritatem articuli hujus an necessitatem in dubium vocari credant; Utrumque videntur indicare, neutrum tamen aperte affirmant. Hariolandum itaque nobis hic est. Primo Doctores innuunt Remonstrantes quæstionem hanc, An Deus præscientiam habeat futurorum contingentium, problematicam facere. Hoc falsum est, uti ex verbis Apologiæ patet. Secundo, significant Remonstrantes in eam partem inclinare quæ præscientiam istam Deo competere negat. At si verba Apologiæ videantur fol. XLIV. contrarium ex ijs concludi posse manifestissimum est. Sic enim sonant, Certum est Remonstrantes contingentiam & libertatem quæ vera & sola contingentia ista est, quæ hic consideranda venit & a lubentia ac spontaneitate Censorum toto cælo distat, agnoscere. Deinde, certum est, eos, Prædestinationem ex prævisa fide, & fidei perseverantia, nullo interveniente absoluto decreto aut ordinatione de fide ista per vim irresistibilem efficenda, passim urgere. Quid inde concludatur nemo non videt. Tertio D.D. expresse asserunt, Remonstrantes nõ audere fateri, Deum omnium futurorum esse præscium ad salutem pertinere: Nec hoc usquequaque certum est aut evidenter satis ex Apologia colligitur. Nam tantum adseritur: Episcopium recte & prudenter fecisse cum disquiri privatim inter disputandum permisit, an necessarium scitu sit ad hoc, ut Deus colatur, scientiam istam Deo competere.

Hoc

Hoc enim fieri poteſt & ſolet in Scholaſticis & Academicis exercitijs ab eo, qui rationes ex utraque parte probabiles & veriſimiles militare videt, quas a diſcipulis ſuis accurate ventilari & excuti vult, ut nihilominus tamen in alteram partem animo ſuo propendeat, etiamſi examine iſto durante ſententiam ſuam non interponat. Sed eſto, demus hoc Doctoribus non inviti, Remonſtrantes non audere fateri hoc ad ſalutem creditu neceſſarium eſſe, quid criminis? An Scripturæ loco ullo conſtringuntur ut id fateri debeant? An ratio ulla eos cogit? Simulatque alterum horum videbunt Remonſtrantes, ilico manus dabunt. Tentent Doctores ex qua parte neceſſitatis iſtius ratio ſolide evinci poſſit, an ex parte Dei cultum ab homine poſtulantis, an ex parte hominis cultum Deo præſtantis, an ex parte cultus ipſius. Ex nulla parte eam evinci videre poſſunt Remonſtrantes. Sed, inquiunt Doctores; *qui cum Cicerone, ut hominem liberum faciant, ſacrilegum faciunt, ij non audent fateri Deum omnium futurorum eſſe præſcium, ad ſalutem pertinere.* At hoc non eſt diſputare, ſed convitiari, & quod convitiatoribus fere ſolet accidere, ineptire. Si enim homo liber eſſe aut dici non poteſt, quin ſacrilegus fiat, ut Cicero ait, & cum Cicerone Doctores, ſacrilegum ergo eum Deus fecit, quia fecit aliquando fatentibus ipſis Cenſoribus, liberum: Et ſi liber homo non eſt, quæ ergo contingentia eſt in rerum natura, aut quæ divinę præſcientiæ gloria eſt? Cætera enim omnia, præterquam libera, neceſſaria ſunt, & nō niſi nomine tenus contingentia, uti ex natura rei manifeſtum eſt. Itaque qui Deo præſcientiam futurorum contingentium religioſe videntur velle adſerere, ſublata libertate, Deum ſacrilegum faciunt, & malorum omnium autorem. Deinde inquiunt Doctores, *Quomodo hæc conveniant cum doctrina de prævisa fide, ipſi viderint.*

Ineptus doctorum ſarcaſmus refellitur.

At 1. Agnoſcunt ergo doctores doctrinam de Prævisa fide doctrinam Remonſtrantium eſſe, & cum Remonſtrantes fidem profiteantur eſſe actum liberę voluntatis gratia præventæ & adjutæ, agnoſcunt ergo etiam eos futurorum contingentium præſcientiam Deo tribuere, ac proinde falſum eſſe quod antea adſeruerunt, eos de præſcientia futurorum contingentium nolle ſententiam ſuam aperte profiteri, aut quæſtionem ea de re inter problematicas cenſere, aut denique cum Socinianis eam negare.

2. Non neceſſe eſt ut magnopere laborent hanc ſententiam ſuam, quâ diſquiri permittunt, an ad ſalutem ſcitu neceſſarium ſit Deum futurorum omnium eſſe præſcium, cum doctrina ſua de prę-

viſa

visa fide conciliare: Nam hæc non repugnant, Credere Deum ex prævisa fide salvare velle, & quærere an hoc ipsum creditu necessarium sit. Fieri enim potest ut quis credat Deum non decrevisse quemquã salvare nisi fidelem, quod expresse passim inculcat Evangelium, & simul hæsitet, an Deus fidem illam singulorum ab æterno præviderit: Nam ex vi generalis illius decreti divini salutem ab æterno singulis in tempore credituris destinatam esse, etiam sine ulla fidei ut jam præsentis prænotione, credere potest. Quod si hæc repugnantia & contradictoria esse velint Doctores, tum necesse est ut credant, omnes eos qui præscientiam istam Deo non audent tribuere, cum cætera ista omnia credant, æternum damnandos esse, quod Remonstrantes pronunciare reformidant, quamdiu argumentis solidis id demonstrari non vident: Sed ut concludamus, mirum meritò videri debet, qua fronte Doctores hi sententiam hanc Remonstrantium de Articuli hujus credendi necessitate tam atrociter exagitare audeant, cum certum sit eos nulla proprie dicta contingentia, nulla vere libera agnoscere, sed firmiter credere omnia quæcunque facta sunt, fiunt aut futura sunt, bona mala, necessario facta esse, necessario fieri, & necessario futura esse, non necessitate tantum consequentiæ sed consequentis, ac proinde præscientiam Dei non versari, adeoque versari non posse, circa contingentia qua talia, sed quatenus ex vi aut hypothesi divinæ ordinationis necessaria facta sunt, id est talia ut fieri aliter non possint, ut prolixè in Apologia Remonstrantium non uno in loco probatum est. Profecto qui hæc tam aperte credunt profitentur ac docent, annon ij histrioniam cum mundo exercere velle videri debent, cum eos quos electionem ex prævisa fide docere, ac proinde prævisionem sive præscientiam futurorum contingentium in Deo statuere disertis verbis agnoscunt, in suspicionem vocare audent, quasi de præscientia divina perperam sentiant, eo quod non audeant profiteri præcise ad salutem creditu necessarium esse quod futurorũ liberorum præscientia Deo competat? Temeritatem hanc nescimus, quæ species excusare, quis color possit diluere; Ipsi, ut verbis eorum utamur, viderint.

Contra Rem: nulla proprie dicta contingentia, nulla proprie libera agnoscunt.

V. Specimen.

QVintum specimen, quod agit de singularibus usibus ad pietatem, quos præbet doctrina de S.S. Trinitate, ne speciem quidem

dem habet aut induſtriæ aut acuminis Theologici. Nam aliud eſt doctrinam de tribus in divinitate Perſonis uſum habere ſuum apud Chriſtianos contra Iudæos & Turcas,aliud ex iſta de S.S.Trinitate doctrina, ſive potius ex numero trium perſonarum exſculpi poſſe uſus ad pietatem peculiares alios,quam quos doctrina de Deo ſuppeditat, quibus ad colendum verum Deum aut excitemur aut confirmemur. Iſtud non negant Remonſtrantes. At ingenia quæ hoc præſtiterunt,hactenus in occulto fuere. Nec mirum. Perſona, qua talis, uſum præbere non poteſt ad cultum aut pietatem, niſi quatenus perſona illa divina eſt: Divinitas enim eſt ratio colendi Deum non perſonalitas.

An doctrina de numero perſonarum trium in divinitate, qua talis numerus eſt,peculiares aliquos uſus habeat.

At inquiunt Doctores, *ſi hoc verum eſt, cum Judæi & Turcæ unum Deum credant, & ei omnia attributa divina aſſignent,eoſdem uſus ad ſalutem habebunt ex doctrina de Deo, quos Chriſtiani.* Quid tum? In hoc different ſemper Chriſtiani a Iudæis & Turcis,quod hi cultum iſtum tribuant uni perſonæ, Chriſtiani pluribus, non quatenus præciſe aut per ſe perſonæ iſtæ propriam ſuam perſonalitatem habent, ſed quatenus perſonæ iſtæ communicant in divinitate diviniſque iſtis proprietatibus & actionibus,quę colendi rationes ſunt. Si aliter cenſent Doctores, exſculpant ergo bonis avibus practicum aliquod dogma ex numero trium perſonarum, quod ex doctrina de Deo diviniſque ejus attributis exſculptum antea non erit. Profecto quos ex doctrina iſta exſculpſerunt uſus Doctores in Cenſura ſua, ij eruditione tantorum virorum digni non ſunt.

VI. Specimen.

SExtum ſpecimen eſt, uti Doctores ad marginem notant, *de qualitate pænæ,quam Deus Adamo & poſteris ejus comminatus eſt.* An videlicet *per verba divinæ comminationis Adamo factæ, Quacunque die comederis,morte morieris*, intelligatur etiam pęna æterna ſenſus ſive cruciatus infernales, præter corporalem mortem & pænam damni. Hoc negari a Remonſtrantibus ajunt Doctores. Res eſt. Mortem corporalem & æternam, quæ privationem gratiæ & gloriæ notat, verbis iſtis contineri fatentur Remonſtrantes, & privationem quidem,non quatenus ea tantum terminum miſeriarum ſignificat,ſed quatenus inſuper pænam ſignificat, quæ damnum in ſe habet, quæ tamen a pæna ſenſus toti compoſito communi diſtinguitur. Pænam ſenſus æternam, ſive cruciatus infernales verbis

An comminatio Adamo facta,Morte morieris,comprehendat præter corporalem mortē & pænam damni,etiam pænam ſenſus ſive æternorū cruciatuum infernalium ſupplicia.

istis comprehendi non tam directe negant, quam clarè atque apertè ex verbis ipsis liquere aut evinci non posse ajunt, & in hoc habent sibi suffragantes omnes pene Theologos, *Bellarminus* diserte ait lib: III. cap: XI. de Amiss: gratiæ & statu peccati, Ex verbis istis, *Pulvis es & in pluerem reverteris, intelligimus illa verba,* Quacunq; die comederis, morte morieris, *nihil aliud significare, nisi morti certissimæ obnoxius eris. At hæc doctrina,* inquiunt Doctores, *Christianis hactenus, præter eos, qui a Socino nomen habent, incognita fuit.* Immerito & falso. Vix enim ulli Christiani sunt, qui pænam æterni sensus verbis istis expresse contineri asserunt. Quotquot sunt, ij per consequentiam tantum pœnam istam ex verbis istis colligunt, & non directè sed indirectè colligi ac concludi fatentur. Socinus vero, tantum abest, ut pænam istam quam Remonstrantes verbis istis contineri volunt, ijsdem contineri agnoscát, ut contra, nec mortem corporalem pænam esse statuat, nisi quatenus moriendi necessitatem, sive potius perpetuitatem, id est perpetuo duraturam animæ & corporis dissolutionem notat (moriturus enim fuisset homo ex sententia Socini, etiamsi non peccasset) nec privationem gratiæ & gloriæ aliam agnoscat, quam eam, quæ Annihilatio dicitur. Neutrum dicunt Remonstrantes. Quare ab eo sententiam suam mutuati dici non possunt. Quod interim pænam istam sensus, sive cruciatuū infernalium verbis divinæ comminationis comprehensam aut Adamo denunciatam esse asserere non audeant, id nulla contradicendi libidine aut novitatis affectatione, sed sola divinæ sententię reverentia fieri profitentur. Libenter equidem, & magna cum Religione Scripturæ Sacrosanctæ verbis insistunt, imprimis ubi de pænarum sanctionibus agitur, quas extendere aut exaggerare ulterius quam verba sonant, reverentia divinæ majestatis & religione quadam animi prohibentur, nolentes interim præfractè contendere cum ijs, qui aliter agunt, sed permittentes conscientijs eorum judicium, quod justis rationibus nixum putant, certi non ex interpretatione nostra, sed ex divina mente pænam aliquando irrogatum iri. Ex consequentijs de divina sententia judicare non minus periculosum quam difficile esse existimant. Ex ijs judicium non facile esse faciendum asserunt ipsi Doctores. Scitum est Juris consultorum, favores ampliandos esse & rigores contrahendos, minusque peccare eum, qui presse inhæret sententiæ verbis, quam qui ea interpretatione laxiore aut latiore exaggerare cupit in rei noxam atque incommodum. Teneri ac commiserantis animi signum est in partem clementiæ potius inclinare, quam in partem rigoris ac seve-

Discrimen inter Socini & Remonstr: sententiam.

reveritatis. At inquiunt Censores. *Ex ista opinione sequitur esse aliquam mortem æternam extra conjunctionem animæ & corporis.* Esto, Hoc non sequitur ex ista opinione, sed hoc est illud ipsum quod opinio ista affirmat, quodque verba ipsa divinæ comminationis in terminis exprimunt uti fatetur Bellarminus & Theologi omnes fere concedunt, adeo ut si verba ipsa divina præcise videantur, & natura ac significatio vocabuli *mortis* consideretur cum additis verbis, *Pulvis es & in pulverem reverteris*, mirum magis videri debeat, mortem æternam istis indicari quæ cum conjunctione corporis & animæ est, quam quæ conjunctionem istam tollit. Quod si absurdum id videtur Doctoribus, sententia divina arguenda est, quæ verbis istis expressa est, & mortem cum dissolutione corporis & animæ diserte in se habet, quia dicit, *Pulvis es & in pulverem reverteris.* Deinde *ex ea* inquiunt Doctores *negatur resurrectio Adami si in statu peccati mansisset.*

Non negatur proprie aut directe Adami resurrectio, sed tantum eam ex verbis divinę sententiæ clare apparere aut solide evinci non posse asseritur. Qui contra sentiunt, ijs probandi onus relinquitur, quod videlicet per verba sententiæ divinæ intelligatur pæna quæ resurrectionem Adami necessario secum trahit, quod Remonstrantes se non posse videre profitentur. *Ex ea etiam sequitur*, inquiunt Doctores, *animam eorum* (cur quæso eorum dicunt Doctores? quorum? Adami? At eum salvatum esse D.D. nō dubitant asserere in Synopsi sua. An posterorum? at quorum? An electorum? Inepte. An reproborum? At de pæna Adamo & posteris omnibus communi agi volunt. Sed fortasse per τὸ esse, futuram fuisse intelligi volunt, si vid: Adam in statu peccati mansisset. Esto, transeat) *post mortem non esse aliquo mali sensu præditam quod Socinus voluit.* Hoc nullo modo sequitur, nisi per mali sensum intelligant Doctores, sensationem quæ per organa corporea fit. At sic coincidit hoc argumentum cum præcedente. Hujusmodi enim sensatio non potest locum habere nisi anima corpori unita sit & sic resurrectio præcesserit. At pænam sensus etiam locum posse habere in anima separata, quatenus sensus significat interiorem animæ dolorem, fatentur non tantum Pontificij, sed Theologi pene in universum omnes. Denique inquiunt Doctores, *Ex ea sequitur etiam eos quibus Evangelium propositum nunquam fuit non resurrecturos, & in illa separatione (quam Sociniani annihilationem esse volunt) mansuros in pæna damni sine ullo sensu miseriæ,* Hic nulla prorsus consequentia est. Tantum enim sequitur, Ex vi sententiæ istius Adamo latæ,

evidenter constare, eos resurrecturos, aut propter peccatum Adami punitum iri pæna quæ resurrectionem præsupponit, de qua re in primo argumento actum est. At eos non affectum iri alijs gravioribus pænis, & nominatim ista pæna, quæ resurrectionem præsupponit, propter ea quę deinde propria sua voluntate committũt peccata contra divinam voluntatem, quam vel ex naturæ, vel ex Mosis lege vel alia aliqua revelatione cognoverunt, ex eo ne per millesimam quidem consequentiam colligitur. Verum quidem est, Scripturam Sacram, cum de æterni sensus pæna loquitur, ijs eam comminari qui Evangelium, & apertam vitæ æternæ promissionem respuunt ac reijciunt, at ex eo non recte nec firmiter concluditur, eam alijs peccatoribus inflictam non iri, nedum ut certo efficiatur pænam illam nõ nisi meram eorum annihilationem fore, ut Socinum, & authorem libelli de concordia & pace Ecclesiæ Doctores hi credere asseverant. Quid tamen de ijs futurum sit, Deus novit. Remonstrantes Deo relinquunt, & divinæ providentiæ dispositionem pænarum, quas infligere pro jure suo potest, & pro justitiæ suæ dictamine inflicturus est peccatoribus ad quos Evangelium non pervenit, pro qualitate & quantitate peccatorum ipsorum. Qui religiose Deum sequitur & suspenso gradu incedit ubi ille non præit, is non opus habet reddere rationem aut nimij rigoris, aut nimię lenitatis nedum insolentiæ aut temeritatis. Veruntamen ut accusationis quæ specimine hoc continetur vanitas manifestius illucescat, unum apendicis loco subijcimus. Posito, quod Remonstr: in hac sua de qualitate pænæ Adamo inflictæ sententia errent aut perperam sentiant, quid quæsumus in eo periculi est? Nam certum semper atque indubitatum nihilominus manet, Scripturam de ijs qui Evangelium & apertam vitæ æternæ promissionem præfractè respuunt ac reijciunt ita loqui, ut eos non æterna damni tantum sed sensus quoque pæna affectum iri pronuntiet. Hoc si fixum ratumque manet, quid opus est digladiari de pæna quam Deus ante aliquot annorum millia Adamo comminatus est? Nam si eam dicas fuisse sensus pænam, eadem Evangelio continetur; Si aliam dixeris, manet nihilominus pæna æterna Evangelio comprehensa. Quin imo, cum pæna æterna, prout Evangelio denunciata est apprehendi debeat, cessat ratio pænæ, comminatione quæ & quatenus Adamo facta est, comprehensæ, adeo ut si ea aut ignoretur, aut perperam intelligatur, nullum inde periculum metuere necesse sit. Accedit, quod interpretatio divinæ sententiæ Adamo latæ in mitiorem partem, nihil prorsus nec ex parte Dei, nec ex parte Adami in se habet

Ostenditur decisionẽ hujus quęstionis non esse necessariam.

incommodi. Nec enim injuria fit Deo, si ei clementia major tribuatur, quam fortè exerciturus est, imprimis quando verba sententię rigorem majorem prę se non ferunt. Nec Adamo nec posteris ejus obesse aut prodesse potest, quippe qui secundum illam primam legem in Paradiso latam judicandi non sunt, ex Doctorũ propria sententia. Ex quo efficitur caussam nullam esse, cur sententia hæc Remonstrantium, etiamsi ea erronea ac falsa esset, tantopere exagitetur a Doctoribus, non aliter quam si ingentem aliquam veritatem convelleret, & ad Religionis Christianæ subversionem tenderet.

VII. Specimen.

SEptimum specimen agit de Peccato Originis. In eo duo asseruntur quę manifeste constat falsa esse. Primum est, *Quod hactenus unanimi omnium non solum Reformatorum consensu, sed ipsorum etiam Pontificiorum creditum fuerit, in omnes posteros Adami ex ejus peccato transijsse veri nominis peccatum, quod,* Originale, *omnes tam Veteres quam recentiores appellarunt.* Certum enim est, Reformatos quod attinet Zuinglium non postremi sane subsellij inter Reformatos, id aperte negasse, uti ex commentario ejus in cap: V. ad Romanos; ex libro ejus *de Baptismo* tract: III. in digressione de peccato Originali, & imprimis ex libro qui inscribitur *Declaratio de Peccato Originali ad Urbanum Rhegium,* tam clare liquet, ut dubitationi locus esse non possit. Verba ejus in lib: de Baptismo tract: 3. hæc sunt. *Pauca quædam de peccato Originali nobis dicenda sunt, nec ignoro quot convitiorum plaustra nobis a Pontificiorum rabie & fremitu exspectanda sint, qui me etiam hanc ob caussam hæreticum esse clamabunt, qui Scripturam nec ipse intelligam, nec exponam alijs, sed falsis interpretationibus corrumpam & convellam. Sed ut ut fremant, peccatum Originale nihil aliud esse dicimus, quam morbum illum, qui hæreditario jure ab Adamo primo omnium nostrum parente in nos derivatus est.* Et infra. *Unde colligimus, Peccatum Originale morbum quidem esse, qui tamen per se culpabilis non est, nec damnationis pœnam inferre potest, utcunque hic nobis Theologorum disputationes & sententiæ reclamitent.* In eodem libro ait: *Theologi morbum hunc & contagionem naturæ nostræ hæreditariam, Peccatum Originale vocare consueverunt, Pauli Apostoli dictum, quo ad Rom: cap.* V. *utitur, minus probe intelligentes. Qui enim fieri potest ut quod morbus & contagio*

De Peccato Originis.

Inter Reformatos fuerunt qui id non agnoverunt.

est, peccati nomen mereatur, vel peccatum revera sit? In declaratione de Peccato Originis, disertius sic loquitur. *Quid brevius aut clarius dici potuit quam Originale peccatum non esse peccatum & Christianorum liberos propter morbum istum non addici æterno supplicio?* Et infra, *Peccatum Originale culpam voco non verè, sed Metonymicè.* Alia in eandem sententiam plura in libris istis reperire est, quę adeo aperta ac clara sunt, ut mirum sit fuisse, qui ea colore aliquo benignæ interpretationis fucare conati sunt. Qui ea a Zuinglio bona fide retractata esse volunt, ij fruantur judicio suo. Argumenta unde id liquere potest nulla adhuc vidimus. Pontificios quod attinet, certum est ex ipsius Bellarmini confessione ac judicio, præter *Abaillardum*, etiam *Iacobum Fabrum*, & *Erasmum* istud negasse, aliosque qui peccatum Originale nihil aliud, quam ipsum primum Actuale peccatum Adami esse censuerunt: Guilhelmus Withakerus Scholasticos plerosque de Peccato hoc perperam sensisse aperte asserit, adeoque peccati hujus naturam definientes, reipsa illud evertisse ac sustulisse: Albigenses & nostri seculi Anabaptistas aliquot non citamus. Illos enim etsi Bellarminus etiam censet inter eos qui peccatum hoc negarunt, tamen Confessiones eorum id nõ insinuant. Anabaptistarum non omnino eadem semper fuit sententia. Magnus tamen eorum in Christiano orbe numerus jam est, qui licet opinionibus divisi, in eo tamen quod peccatũ originale proprie peccatum nõ sit hodie fere omnes concordes manent & consentientes. Quare Remonstrantes nec primi nec soli videri debent, quibus hæc sententia placuit.

Inter Pontificios fuisse qui id negarunt fatetur Bellarminus & Withakerus, alios obscure, alios reipsa, alios necessaria cõsecutione.

Alterum est, *quod Remonstrantes nunc audacter se in hoc capite, Scripturæ & totius Ecclesiæ consensui opponant.* Atqui *Scripturam* quod attinet, detur unus ex Scriptura locus, qui sine controversia id quod Doctores volunt asserit, & non dubitabunt Remonstrantes audacię suæ, si qua est, culpam agnoscere & deprecari. Fidenter dicunt id impossibile esse. Tentent Doctores, & videbunt sibi aquam hærere. Certe Pontificij, ut ut acerrime pro peccato Originis pugnent, fatentur tamen ingenue istud ex solis Scripturis evinci irrefragibiliter non posse, vide Bella: lib: IV. de Verbo Dei cap: 4. pag: CCXV. *Consensum totius Ecclesiæ*, sive ut Doctores antea locuti sunt, omnium *tam Veterum quam recentiorum* quod attinet, de eo quin dubitari jure merito possit nemo adeo hospes est in lectione Veterum Patrum (de recentioribus jam diximus) qui id inficiaturus sit. Withakeri verba sunt lib: I. de Peccato Originali cap: 4. *Recte mones hoc verbum in Scripturis non haberi neque in Patribus vetustissimis.* Et

In Scriptura istud indubitato expressum aut definitũ esse nõ possunt deprehendere Remonstrantes,

Et fatentur Pontificij ipsi

sane

ſane ita eſt. Ante Auguſtinum, id eſt primis tribus ſæculis peccatum iſtud agnitum aut Originale peccatum vocatum fuiſſe, nuſpiam deprehenditur. Nec deſunt argumenta & teſtimonia ex iſto ævo petita quæ contrarium luce clarius oſtendunt. Videantur tantum ea quæ Withakerus in libro ſuo II. de Peccato Orig. cap. 2. adfert. In toto iſto capite apertè atqui ingenuè fatetur, Patres fere omnes ante Auguſtinum, *minus accuratè in duobus Articulis de Peccato Orig: & libero Arbitrio ſæpius & ſcripſiſſe & ſenſiſſe quam tantos Eccleſiæ Doctores oportuit.* Et fidem faciunt teſtimonia quę adfert compluria. Deinde videantur ea quæ Bellarminus ipſe ſibi obijcit lib. II. de Amiſſ: grat: & ſtatu peccati, cap. 9. quęque pro ſententia ſua ex Patribus, qui ante exortam Pelagij hæreſin vixerunt, cap. v. adfert, & ſi prężudicium ponatur, apparebit iſta adeo clara atque aperta eſſe, hæc adeo infirma, obſcura atque dubia, ut vim ingenio atque animo ſuo facere voluiſſe credi debeat, cum iſta enervare, hęc confirmare, aut tanquam plana adducere ſtuduit. Nec obſcure etiam id colligi poteſt ex eo quod cap. I. relaturus Scriptores Veteres ac recentiores, qui de peccato Originali ſcripſerunt, primum faciat ac recenſeat Auguſtinum, quem de eo copioſiſſime ſcripſiſſe ait, addita cauſſa hac, *quia ejus tèmpore hæc quæſtio orta erat:* ut ut ſit, argumentū quod ex hoc conſenſu, quantuſcunq; tandē ille fuerit petitur, non parum enervatur hac ratione, quod necdum ſatis clare intelligi poſſit, qua in re proprie conſenſio iſta ſit. Tot enim ac tā varię ſunt de peccato Originali definitiones, ut incertum ſit quid peccatum Originale ſit, aut in quo formalis ejus ratio conſiſtat. Complures ex ordine recenſet Bellarminus. Nec pauciores Withakerus in libro ſuo I. de Peccato Originali cap. I. Alij quindecim numerant, eaſque tam diverſas ac diſſimiles, tam varijs ac ſolicitis fictionibus, circumſcriptionibus, cautionibus elaboratas, ut quæ ejus propria natura ac forma ſit, perſpicere ne Lynceus quidem valeat. Atque ut jam alia eaque multo graviora argumenta nō allegemus, hoc unum certe, quod cum in nomine ſolo (in quo tamen ipſo manifeſta contradictio eſt in adiecto, Peccatum enim & Originale repugnantia ſunt, quæ coniungi nullo modo poſſunt) conſenſio ſit, in re autem ipſa multifaria diſſenſio, non leve ſignum atque argumentum eſt, conſenſionem illam aliunde quam ex vi manifeſtæ veritatis proficiſci. Plana enim & aperta veritas facillime definitur atque intelligitur: operoſis definitionibus, diſtinctionibus, & cautionibus opus non habet ut pervideatur; Sua luce ſplendet. Falſum omne multo fuco, multo cæromate indiget ut veri ſpeciem

Peccatum Originale tā variè definitur, ut intelligi ſolide non poſſit, quid ſit

referat? Sed nunquam, adeo se tegit veri specie ut non transpareat ac diluceat ejus color. Hinc novis fictionibus semper opus est, ut falsum falsi tegula fiat.

VIII. Specimen.

An actus necessario Consequentes divinam punitionem sive ablationē gratiæ ad evitandos actus istos necessariç, formaliter sint peccata, ita ut valide hominem obligent ad pænam.

OCtavum specimen dignum est quod decidat Magister sententiarum aut formalitatum. Nam nodus in scirpo quçritur qui distinctionibus Logicis aut Metaphysicis per materialiter & formaliter eximendus est. Quæritur; An actus illi mali qui necessario proveniunt ex voluntate punita privatione divinæ gratiæ sive justitiç Originalis, quam vocant, ita ut voluntati actus illos malos evitare propter istā privationem impossibile sit, formaliter sint peccata, quæ sc: hominem validè obligant ad pænam. Remonstrantes agnoscunt illos materialiter quidem esse peccata, quia sunt actus difformes divinæ voluntati & Legi, sed non formaliter, ita sc: ut per eos homo obligetur validè ad pænam. Quis credat Momum aliquid hac in re reperturum quod culpet? Ratio enim pro Remonstrantibus tam clarè militat ut palpari pene possit. Ea hæc est. Quod ex pænali actione Dei impossibile est evitare homini, id culpa esse non potest quæ validè hominem ad pænam obligat, aut augmentum pænæ meretur. Hæc ratio tam clara est ut prima notio videri possit. Et tamen habent Doctores etiam hic quod sugillant, & ex quo peculiare caput accusationis faciunt. Unde quam difficile sit modum tenere postquam semel libido censendi animum subijt atque impetum fecit, manifeste videre est. Sed rationes addunt, inquies. Frivolas sane ac leves. *Itaque*, inquiunt, *ex eorum sensu Adam post amissam justitiam Originalem non potuit peccare formaliter nec augmentum pœnæ mereri.* Ita est, si duo quæ in quæstione hac præsupponuntur, bene observentur. 1. Si per amissam justitiam originalem intelligatur amissa justitia per pænanalem actionem Dei, qui Adamum propter peccatum suum dono spirituali justitiæ Originalis privavit. 2. Si per peccata intelligantur ea peccata quæ sine justitiæ istius Originalis a Deo ademtæ ope atque auxilio evitari ab Adamo non poterant. Hujusmodi peccata fatentur Remonstrantes Adamum non potuisse valide obligare ad pænam, nedum ut per ea Adam mereri posset augmentum pænæ. At si per peccata intelligantur ea quæ post amissam justitiam Originalem, auxilio tamen generalis gratiæ adhuc reli-

quæ

quæ in Adamo, sive beneficio scintillarum gratiæ, quas superstites post lapsum mansisse Confessio Doctorū Belgica adfirmat, evitari poterant, ea formaliter peccata fuisse & per ea Adamum augmentum pænæ mereri potuisse, pro indubio habent Remonstrantes. Eadem ratio est de Angelis malis sive Diabolis. Res loquitur.

IX. Specimen.

NOnum specimen plane infantile est. Remonstrantes *negant* inquiunt Doctores, *ullos infantes esse subjecta capacia operationis Spiritus Sancti, vel in illis habitum ullum justitiæ restitui, ubi addunt. Nec refert an infantes isti sint fidelium aut Ethnicorum liberi. Infantium enim qua infantium innocentia prorsus est eadem.* Ita est. Idem negavit totidem pene verbis *Hulricus Zuinglius*: Verba ejus sunt in declarat: de peccato Originis. *Fidelium liberi propter originalem illum & hæreditarium morbum nullam subibunt damnationem, quod legem & legis sententiam ignorant.* Et *Beza* in colloquio mompelgartensi, cui subscripserūt, *Musculus, Fajus, Alberius, Hubnerus*, non semel idem tanquam absurdum & ineptū rejecit, *videlicet infantes aut ante Baptismum regenitos esse, aut in ipso Baptismo regigni vel subjecta regenerationis capacia esse aliter quam divina destinatione, qua fit ut suo tempore cum regenerationis capaces sunt, per Spiritum Christi regenerentur*, vide Fol: 183. & secunda parte contra Iacob: And: fol: 33. Et res per se clara est. Quod ut pateat, utrumque enunciationis membrum expendamus. Ac primum quidem. *An infantes sint subjecta capacia operationis Spir: S:* Si infantes sunt subjecta capacia operationis Spiritus S. cujus quæsumus operationis Spiritus S.? An operationis quæ in mente atque intellectu fit, qua videlicet sic in ea operatur Spir: S. ut Deum & divinam ejus voluntatem cognoscant? Quis tam excors qui id dixerit? *Parvulos divina scire*, inquit August: Epist: 57. Ad Dardanum, *qui nec humana adhuc noverunt, si verbis velimus ostendere, vereor ne ipsis sensibus nostris facere videamur injuriam, quando id loquendo suademus ubi omnes vires officiumque sermonis facillimè superat evidentia veritatis.* An operationis, qua voluntatem eorum afficit ut ament & diligant Deum? Et quis hoc dixerit? Amor enim sine cognitione esse non potest. An operationis qua intellectum & voluntatem eorum afficit ut credant in Deum & Filium ejus Iesum Christum? Hoc explosit non tantum manifesta ratio, sed etiam tota Antiquitas

An infantes sint subjecta capacia regenerationis.

quæ infantes fide carere, & cum baptizantur non nisi in fidem susceptorum aut Ecclesiæ totius baptizari asseruit. *Qui probare vellet, infantes habere fidem, is laterem lavaret*, inquit Zuinglius tom: 2. fol: 92. An operationis, qua mentem atque voluntatem eorum disponit Deus ut idonei sint ad intelligendum & amandum Deum? At quæ idoneitas esse potest in subjecto incapace, aut si infans capax ejus est, quorsum est idoneitas ista quæ in actum exire non potest? Tum quid est idoneitas ista? Certe Augustinus diserte negat eos *affectum fidei habere*. Cujus ergo aut qualis tandem operationis Spir: S. capaces sunt infantes? detur ejus operationis aliqua certa species aut definitus modus, ut intelligatur quod dicitur. Alioquin quidvis fingi potest: Calvinus li: Inst. IV, ca. XIX. parag. 19. cum fidē infantibus tribuit *in suspenso relinquit, An sit eadē fides, quam in nobis experimur, an sit notitia fidei similis*. At hoc est fictionibus nō rebus disputare & definitiones fidei pro arbitiro sibi imaginari. Hinc alij fidem infantibus inesse negant, ut Petrus Martyr in locis communibus fol. 1533. & alij complures. Alij inesse quidem affirmant sed non actu, ut Ursinus, qui inclinatione tantum inesse vult: Alij non inesse fidem sed semen fidei ut Beza, alij nescio quid inesse contendunt. Alij ἐπέχουσι ut Aretius. Alterum est, *An in infantibus restituatur habitus justitiæ?* Eædem hic difficultates militant. Si restituitur habitus, quid ille habitus est, in qua parte animę infantium restituitur, an in intellectu, an in voluntate eorum? & quorsum? Tentent Doctores ut hoc explicent ita ut intelligi possit, experientur facilius hoc affirmari, quam probari, aut declarari: Necesse est ut habitum illum justiciæ dicant esse qualitatem seu formam aliquam permanentem in anima infantium, per quam tollitur aut diluitur hæreditarium seu Originale peccatum. At neutrum dicere cum certa ratione possunt. Peccatum enim Originale manere dicunt in infantibus: Ut dilui credant, absurdum est. Peccatum enim proprie dictum actu alieno dilui non potest. Voluntarium enim non nisi voluntate propria dilui potest. Remitti potest ac remittitur actu alieno, sed actu alieno non diluitur. Tum quorsum diluitur, quod in ipsis non est? Aut si in ipsis est, quorsum diluitur quod ijs remissum est ac proinde ijs nocere non potest? Tum quod vel levidense indicium hujus rei est in tota Scriptura sacra? Dolendum est hæc tam audacter affirmari, quæ non modo ex Scriptura autoritatem nullam habent, sed & præter adeoque contra omnem Scripturam & rationem sunt. Videant Doctores quod judicium vir non minus eruditus quam disertus, ipsis non igno-

ignotus in libro suo de R. H. hac de re ferat. *Non ignoro equidem* ,,
extare scripta gravissimorum hominum, qui in infantibus, uti captus eo- ,,
rum est, inesse quandam sacræ fidei vim tradunt; Sed hoc tam fatuum ,,
est ut flagris castigari dignum sit. Apostoli enim vox est ad Rom, ὅτι ,,
ἡ πίςις ἐξ ἀκοῆς, *ex auditione fidem esse, addamus nos, etiam ab assensu.* ,,
Agant ergo illi quorum est istud delirium, & memoriam pueritiæ suæ quo ,,
ad possunt repetant ultimam. Sane haud dicent, se vel illo tempore cum ,,
inter æquales primulum ludere inciperent quicquam magnopere compertum ,,
tum habuisse de summo Religionis mysterio, aut si dixerint, tum vero mihi ,,
incedant cum manicata tunica: Ita decet profecto. Nam ab incunabulis ,,
bulis sapiunt. At inquiunt, Doctores, *Sic inter infantes Christia-* ,,
norum Iudæorum & gentilium nullum discrimen erit in participatione gratiæ Christi. Nihil minus, nisi per gratiam Christi intelligant gratiam regenerantem aut operantem habitum justitiæ. Hujus enim gratiæ omnes infantes, eo ipso quod infantes sint, incapaces sunt. Alioquin discrimen manifestum esse agnoscimus in participatione gratiæ, qua fit ut Christianorum & fidelium liberi in fœdere nascantur, & ex vi gratiosi fœderis censeantur sancti, si vel alteruter tantum parentum fidelis sit, cum cæteri Iudæorum, Turcarum & gentilium liberi sint impuri uti diserte ait Apostolis 1. Corinth. vii, 14. *At quomodo tum*, inquiunt porro, *Remonstrantes dicunt infantes per Christum servari, cum Scriptura dicat Christum venisse ut peccatores salvos faceret.* Respondemus, Peccatores duobus modis aliquos dici, vel qui ex peccatoribus nati sunt, & vi cognationis ac conjunctionis istius naturalis iisdem quibus illi calamitatibus ac malis obnoxij atque involuti jacent: Vel qui non tantum nati sunt ex peccatoribus, sed etiam proprijs actualibus suis peccatis se eorundem aut graviorum etiam malorum reos fecerunt. Isto sensu infantes peccatores dici concedimus. Nascuntur enim ex Adamo peccatore, & *prima* ut Cyprianus ait, *nativitate contagium mortis antiquæ ex eo contrahunt.* Atque hac ratione gratia mortis Christi opus habent, ut ex morte ista liberentur si in infantia sua moriantur, & novis proprijsque suis peccatis se non fecerint reos iræ divinæ. Alioquin gratia nova regenerationis opus habent, ut a peccatis istis, eorumque reatu immunes fiant: Distinctionem hanc Scripturis niti manifestum est. Videantur manifesta loca 1. Reg. 1. 21. Ioh. ix. 34. & 11. Corinth. v. 21. eaque omnia ubi infantes eorũ qui in v. populo propter peccata sua varijs malis affligebãtur, eodem cum parentibus loco veluti peccatores censiti ac tractati fuisse leguntur. Infantes enim censentur in & cum parentibus suis velut unus homo.

X. Spe-

X. Specimen.

An Fides in Iesum Christum moriturũ in V. Testamẽto directè atque aperte præscripta fuerit.

DEcimum specimen non novum est specimen, sed jam antea motum & confutatum, hic tantum numerum auget. *Negant* inquiunt Doctores, *Locum ullum esse unde appareat fidem in Christum moriturum in V. Testamento directe atque aperte præscriptam atque exercitam fuisse.* Esto, Si recte id negant quid in ijs culpatur? Si male, detur ergo locus ex quo negationem falsam esse constat. Hoc compendio lis transigi potest. Sed admiratione potius quam refutatione dignum est, quod Doctores hi qui Remonstrantibus vitio vertunt & crimini dant quod negent locum ullum esse in V. Test: unde appareat fidem in Christum moriturum directe atque aperte præscriptam atque ex præscripto exercitam fuisse, nullum tamen locum allegent, ex quo fidem illam directe atque aperte præscriptam atque ex præscripto exercitam, ac proinde negationẽ Remonstrantium falsam esse apparet. Hoc enim quamdiu non faciunt quid aliud quam ἀεροβατεῖν & cum umbra sua digladiantur? Consequentias allegant, sed ex consequentijs concludere, quod directe atque aperte probandum est, tantundem est atque fateri verum esse id quod asserunt Remonstrantes. Sed & consequentias videamus. *Apostolus* inquiunt *sæpius repetit se nihil dixisse de Christo extra ea quæ Moses & prophetæ futura prædixerant.* An hoc sæpius repetat Apostolus non inquiremus: Esto: At 1. quid hoc ad rem facit? Aliud est, prædicere quod futurum erat, aliud præscribere aut præcipere actum circa id quod futurum est. De hoc non de illo quæritur. Apostolus dicit prædictum olim fuisse a Deo per Mosem & prophetas futurum ut Christus moreretur, At non dicit prę̨ceptum a Deo fuisse populo ut in moriturũ Christum crederet. Deinde, prædictio alia est directa atque aperta, alia typica & figurata. Apostolus affirmat Mosem & prophetas olim predixisse ea quæ Christo evenerunt. At nuspiam affirmat Mosem & prophetas ea directe atque aperte prę̨dixisse, quod hic τὸ κρινόμενον est. Imo vero ex ipso Apostolo constat eum non semel affirmare, Legem fuisse *umbram*, habuisse *umbram rerum futurarum*, & quod cum Remonstrantium negatione directe convenit, negat eam habuisse *ipsam imaginem*, *sive expressam formam* istarum rerum, sive ut alibi loquitur, ipsum corpus, quod in Christo, sive Christi Evangelio tantum fuisse ait. At si prædictio directe atque aperte

Prima objectio ex loco Act. XXVI. 22. desumta diluitur.

facta

facta fuisse dicatur in V. Test. dicta hæc Apostoli colorem non haberent. Adde quod hæc communis omnium Theologorum sit sententia, obscure & in typis prædicta fuisse ea, quæ in N. Testamento clarè atque aperte enunciata sunt. Quæ res veteres Theologos non paucos movit, ut id quod hic negant Remonstrantes, videlicet Fidem in Christum in V. Test. præscriptam fuisse, totidem verbis negaverint, quin imo, quod Remonst. nuspiam tamen affirmant, eos omnes, qui ante natū & revelatum Christum vixerunt, sine notitia & fide Christi salvatos fuisse, asserere aperte non dubitaverint, prout ex locis in Apologia citatis fol. xci. b. manifestum est, & pluribus demonstrari posset, nisi id Reformati complures ipsi faterentur. Simile est quod addunt, *Apostolum initio cap. xv. Epist. prioris ad Corinth. affirmare, Christum mortuum esse & resurrexisse secundum Scripturas.* Nam phrasis ista, *Secundum Scripturas*, non necessario significat secundū Scripturas apertè & directè sive in terminis id enunciantes, de quo hic quæritur, & quod probandū erat. Quin phrasis hæc de *Scripturis* istis intelligi possit, quæ typos, & nominatim typum Ionę continent quem Christus Iesus ipse allegat, cum de morte, sepultura & resurrectione sua ut prędictis loquitur, nihil plane obstat. Et rationes sane sunt quæ pene cogunt istam phrasin sic accipere. Nam I. certum est nulla in toto V. Testamento loca reperiri, quæ apertas, non dicimus jam de morte tantum, sed de resurrectione etiam Christi futurâ (utrumque enim hoc in loco conjungit Apostolus) prædictiones habent. II. verisimile non videtur Christum Dominum, si in Scripturis de morte ac resurrectione Messię directæ atque apertæ prædictiones exstitissent, typum Ionæ allegaturum fuisse; Aperta prædictionum verba citasset, convincendis Iudæis magis idonea. III. versimile non est, Apostolos Christi, qui Iesum Dominum suum pro Messiâ ac Filio Dei habebant, de morte ac resurrectione ejus dubitaturos fuisse, nedum, cum de morte ac resurrectione suâ loquebatur, ut Scripturę implerentur, offensum iri, quin & a periculo mortis subeundo eum dehortaturos fuisse, si apertè atque directè id in Scripturis prędictum fuisset. IV. Nec Iudæi hodieque præfractè negarent Messiam moriturum aut ex morte resurrecturum; quid dicimus! Religionem Christianam pertinaciter eo solum nomine non respuerent quod Messiam sive authorem ejus mortuum ac crucifixum tradat atque agnoscat. Denique hoc unum, quod Christus Discipulis Emauntem euntibus *Scripturas aperuisse* dicatur, satis arguit, eas clausas atque sub typis & umbris absconditas fuisse, ut clave opus esset quâ

Altera objectio ex I. Cor xv. 3. diluitur.

aperirentur. Addunt Doctores, *Zachariam Patrem Joannis Baptistæ in cantico illo suo, ubi Christum Regem agnoscit jam tum agnovisse Messiam pro Rege spirituali, verisimile esse negari* a Remonstrantibus; *imo idem dicunt de Mariâ Christi matre & Simeone, quasi in Canticis suis nihil aliud cogitassent, & nescivissent Christum moriturum pro mundi peccatis; aut spirituale ipsius fore regnum:* Quid mirum! Sane si cantionis Zachariæ, imprimis Mariæ ac Simeonis verba videantur, si infantilis Christi ætas, si præjudicia, quæ Iudæos in universum omnes habebant, si Apostolorũ etiam post ipsam Christi resurrectionem pertinax error videatur, quid minus dici potest quam verisimile esse, eodem de regno Christi terreno, & per mortem non interrumpendo, aut post mortem demum erigendo, præjudicio, Zachariam, Mariam, & Simeonem occupatos fuisse? Detur una ratio, non dicimus clara atque aperta (hoc enim impossibile est) sed probabilis, quæ tot verisimilibus opponi meretur, & Remonstrantes errorem fatebuntur. Quamquam quid in eo aut culpæ aut periculi est, quod id ita Remonstrantes existiment? Pone eos hac in re errare, cui mortalium nocere potest error iste? Ad summum ignorantia erit, sed quæ nulli noxia esse potest: Si cui libet aliter sentire is fruatur judico suo. Subijcimus tamen Coronidis loco: Non negari a Remonst. multos fideles in V. Testam. in Christum moriturum respexisse. Absit. Quin prophetæ alijque sancti divino Spiritu afflati in eum respexerint, ac nominatim propheta David, Esaias, Daniel &c. dubitandum vix videtur, Cum Scriptores sacri id non obscure testentur Acto. 11. 30. 31. 1. Pet. 1.10.11. Act. x. 43. Cui consequens etiam videtur, fuisse nonnullos qui Prophetis id ipsum prædicentibus & testantibus fidem habuerunt ac proinde etiam in Christum moriturum respexerunt. At sub præcepto tum temporis fuisse, ut id omnes ac singuli sub salutis æternæ periculo crederent, eorum est probare qui id adseverant. Remonstrantes qua ratione id probari possit non vident. Quæ in contrariam partem militant argumenta præponderare ipsis videntur, salva aliter sententium pace.

XI. Specimen.

V*Ndecimum specimen* nihil in recessu habet, si æquivocationem tollas, quæ sola speciem ei dat. fol. 95. *dicunt Remonstrantes, Nihil ineptius, nihil vanius esse, quàm tribuere Christi merito, quod fidem*

fidem & regenerationem nobis meritus sit: Nam, si per *fidem & regenerationem* intelligatur gratia præveniens, concomitans, & subsequens, necessaria ad fidem & regenerationem tam efficiendam, quàm conservandam, tum nihil alienius a mente Remonstrantium est, quam ut negent Christum gratiam istam & gratiæ istius communicandæ seu distrubuendæ potestatem morte suâ promeritum esse. At si fides accipiatur pro ipso fidei actu, & regeneratio pro ipsâ vitæ sanctimoniâ, quatenus actus officij nostri sunt quos Christus a nobis postulat, tum certe agnoscunt nihil vanius aut ineptius esse quàm tribuere ea merito Christi. Si enim Christus actus istos efficaciter & sub nulla conditione promeruit uti D. D. credunt, tum tenetur atque obligatur Deus, ex vi meriti istius, actus istos nobis conferre, ac proinde vanè atque ridiculè actus illos præscribit, & a nobis requirit sub comminatione æternæ mortis. Nemo hoc non palpat. Adde, quod cum Christi meritum ad omnes omnino homines extendant aut pertinere adserant Remonstrantes, ex eo sequatur, Christum omnibus fidem & regenerationem promeritum esse; quo quid absurdius ex mente Doctorum? At *inde sequitur*, inquiunt Doctores, *non posse Ecclesiam a Deo petere propter meritum Christi ut det fidem & regenerationem ijs qui a fide alieni sunt*. Ita est, si fides posteriore sensu accipiatur. Quin imo non tantum sequitur Ecclesiam non posse id a Deo petere, sed necesse non esse ut id Ecclesia petat, imo nec licitum ei esse id petere. Non necesse esse, inde liquet, quia quod ex vi meriti Christi debetur talibus, id non necesse est ut petatur obnixâ prece a Deo propter meritum Christi. Deus enim tenetur ad dandum id, quod Christus meritus est ab eo etiamsi non petatur: nisi meritum Christi sub conditione precationis vim suam habere dicant Doctores, quod etsi Remonstrantes fateantur, tamen a Doctorum horum sententia est alienum. Non licitum esse Ecclesiæ ut id petat, hinc patet, quia petere a Deo id, quod ipse Deus serio fieri vult a nobis, & a nobis, tanquam officij nostri actum, postulat, non est petere secundum voluntatem Dei. Peteretur enim a Deo ut faciat id quod facere non vult, sed fieri a nobis serio mandat. Qui serio aliquid ab alio fieri vult, is eo ipso significat, se id non velle vi suâ irresistibili efficere. Aliud est petere gratiam, seu necessariam, seu utilem ad fidei & sanctimoniæ actus præstandum; Aliud ipsam, ut ita dicamus, fidei & sanctimoniæ effectionem: Istam petere potest ac debet Ecclesia per & propter Christum, quia Deus alia lege meritum Christi prodesse nobis non vult. Hanc ut petat absurdum est. Accedit

Qua ratione Christum nobis fidem & regenerationem promeruisse negent Remonstrantes, exponitur

cedit id quod censor hic dissimulat, & tamen ad absurditatem sententiæ Censorum exeggerandum vehementer facit, quod ex hoc sequatur, Ecclesiam non posse petere à Deo fidem & regenerationem omnibus, qui à fide alieni sunt: vocem *Omnibus* studio ac de industriâ Doctores omiserunt. Ratio est, quia fidem & regenerationem propter meritum Christi nō potest petere Ecclesia a Deo, alijs quám quibus eam Christus promeritus est: At non promeritus est fidem & regenerationem alijs quàm Electis, ex sententiâ Doctorum; Ergo Ecclesia alijs eam propter meritum Christi petere non potest, Quàm multa & gravia absurda ex hoc consequantur, quis non videt? Electi enim hi pauci sunt, & vixquartam mundi partem constituunt: Unde quam inepta & absurda sit hæc Doctorum ratio, haud difficilè est colligere, imprimis, si addatur, quod absurditatem valde auget, Doctores in suis λειτȣργίαις & Catechesibus precationē hanc extendere ad *omnes omnino homines* qui a fide alieni sunt, id est, tam ad reprobos, quos vocant, quàm Electos, quæ ἀσύςατα esse manifestum est. Addunt, *Ex hoc sequi, nos regenerationem nostri non debere merito Christi.* Hic eadem fallacia est. Regenerationem nostri debemus Christo, quia ei soli debemus acceptam ferre illam gratiam, quæ ad regenerationem nostri necessaria est, eam enim ejusque conferendæ potestatem promeruit: At fidem ipsam & sanctimoniam, quatenus actus officij nostri sunt, non promeruit nobis Christus, quia eos mandat & præscribit nobis. Merito Christi debemus nostri cum Deo reconciliationem, & totam atque universam illam Spiritus S. gratiam, quam nobis promeruit, & nobis dat ut nos Deo reconciliemur, & in gratiam cum eo redeamus. At Spiritus Christi est, qui per verbum suum nos regignit, & fidem atque obedientiam in nobis operatur, non vi irresistibili, sed eo modo, qui cum præceptis ejus convenit. Atque hoc ipsum an non vehementer faciat ad excitandum omnes in amorem Dei & Iesu Christi, eosque de officij sui partibus monendū, quivis judicare potest. Istud sanè, quod Doctores statuunt, tantum abest ut faciat ad excitandum omnes homines in amorem Iesu Christi, quia Christum omnibus hominibus fidem & regenerationem meritum non esse, adeoque mereri noluisse diserte credunt atque asserunt (alioquin enim omnes homines crederent) ut ne quidem naturâ suâ idoneum sit ad excitandum in amorem Iesu Christi electos illos, quos vocant, & quibus solis morte suâ Christum meritum esse volunt fidem & regenerationem, sed contra potius aptum natum est, ad excitandum in illis negligentiam officij sui

fui & vitæ securitatem, quia persuasi sunt Deum, qui in ipsis efficit fidem propter meritũ Christi, fidem istam, propter istud ipsum Christi meritũ, semper in ipsis conservaturum, &, etiamsi contingat eos incidere in varia eaque gravissima peccata ac scelera, ad pænitentiam tandem ac resipiscentiam vel in ipso extremo vitæ articulo revocaturum esse, ne merito Christi vis atque efficacia sua pereat.

XII. Specimen.

D*Vodecimum Specimen* pertinet directè ad quinque, quos vocant, Articulos, quos tamen præterire voluisse videntur Doctores, & si ambiguitas tantum tollatur, nullius plane momenti esse comperietur. *Comparationem*, inquiunt Doctores, *instituit Apologia inter Reges terræ & Christum Regem, in qua nihil amplius tribuunt Regi Christo in conciliandis sibi subditis, quam Regibus, qui Subditos suos non reddunt sibi morigeros.* Enim vero si per voces istas, *Nihil aliud*, intelligunt Doctores nullam irresistibilem vim aut potentiam, quâ Christus Subditos sibi morigeros faciat, recte, & ex sententiâ Remonstrantium loquuntur, quæ quarto articulo eorum comprehensa est: Hac enim in re Christus Rex in ordinaria hominum vocatione ad sui obsequium & cęteri terræ Reges conveniunt. At si per voces istas intelligunt nullas alias actiones Christo tribuendas esse ad convertendum homines, quam quas Reges adhibent, ut subditos suos sibi reddant habeantque morigeros, tum detorquent Remonstrantium sententiam, & vim verbis eorum faciunt, uti ex scopo loci, unde hoc specimen petitũ est, manifestissimè liquet, & ex infinitis Remonstrantium Apologiæ periodis. Passim enim inculcant, longe plures & excellentiores actiones fieri a Christo, ad convertendum homines ad fidem & sui obsequium, quam Regibus terræ aut tribui solet aut tribui potest. Reges terræ intra mandata stant. Christus vero non mandat tantum, sed & illuminat mentem, movet affectus, imaginationem sive phantasmata excitat, voluntatem disponit, omniaq; omnino agit, quæ circa animam hominis fieri possunt, solâ determinatione exceptâ. Hoc cum manifestum sit, nihil restat quod ad hoc specimen respondeatur amplius. Quæ ex Apologiâ citantur, ea in ipsa Apologiâ confutata sunt, & confutatione novâ opus non habent, quia pertinent ad quæstionem de irresistibili operatione in conversione hominis.

Ostenditur qua in re conveniant Christus Rex & cæteri terræ Reges in conciliandis sibi subditis.

XIII. Specimen.

De Iustificatione nostri coram Deo.

DEcimumtertium Specimen, in quo de *justificatione nostri coram Deo* agitur, nullam justam criminationis caussam in se habet: Remonstrantes profitentur in Apologiâ suâ, se in substantiâ ipsâ cum Ecclesijs Reformatis consentire. Tantum ea quæ incommodius dicta esse aut dici putant, benignâ interpretatione emollliverunt, ut consentanea Religioni Reformatæ dicantur; usque adeo ut Socinum ipsum conciliare studuerint in summâ rei aut dogmatis hujus cum Reformatis Ecclesijs, duobus tantum exceptis capitibus, in quibus ab illis seorsim abire & perperam sentire ipsis videtur.

Duo capita excipiuntur, in quibus Socinus seorsim sentit in hoc Articulo ab Ecclesiis Reformatis.

Primum caput est, quod aliam statuat caussam προκαταρκτικὴν justificationis nostræ, quam Ecclesiæ Reformatæ, & cum ijs Remonstrantes statuunt. Secundum est, quod fidei formam statuat esse bona opera; Ecclesiæ vero Reformatæ, & cum ijs Remonstrantes, bona opera dicant esse effecta fidei, quæ a fide, tanquam a matrice, fonte & radice, proveniunt: Totam itaque controversiam huc redire dixerunt, An in negotio justificationis fides consideranda veniat, ut est actus sive opus obedientiæ nostræ, quod conjuncta sibi habet bona opera, sive, uti loqui solemus, *viva fides*, an vero metonymicè, ut objectum suum quod respicit, quod statuitur vel meritum ipsum Christi, vel specialis Dei misericordia electorum, qui vocantur, propria. Atque hoc ipsum videntur agnoscere Doctores, cum speciminis totius hujus summam ad marginem hanc faciunt, *de justificatione, quod non tantum fide in Christi meritis sed etiam bonis operibus justificentur homines.*

Status controversiæ verus proponitur.

Etsi enim perperam admodum statum controversiæ ponant, tamen eo redit id quod dicunt, An videlicet homines justificentur per fidem, id est, per objectum fidei, puta Christi meritum, citra ullam relationem ad fidem ut est opus aut actus noster; an per fidem, quæ Christi meritum respicit, quatenus est actus noster & actus vivus, qui bona opera de se gignit, sive, quod idem est, an fidei opus vivum nos justificet, pro ut ex ijs, quæ in contextu speciminis a Doctoribus explicationis gratiâ proposita sunt, manifeste liquet, & nominatim ex verbis istis, *Tam illi, quam Sociniani contendunt fidem ipsam nostram cum operibus haberi pro justitiâ illâ quâ justificamur.* Certum itaque est, extra controversiam poni utrimque, Fideles ex misericordiâ Dei gratis justificari, & Fideles justificari propter meritum Iesu Christi: In controversiâ

autem

autem hoc tantum versari, An fides, quâ justificamur sit actus noster, & quatenus actus noster est, actusque vivus & ferax bonorum operum, ex misericordiâ propter Christum in justitiam nobis imputetur. Hoc affirmant Remonstrantes, negant Doctores. Quod addunt, *Remonstrantes non distinguere inter modum, quo dicitur fides justificare apud Paulum, & opera dicuntur justificare apud Iacobum*, id ad principalem quęstionis statum non pertinet, sed particularis quæstio est, duorum istorum in speciem sibi repugnantium locorum explicationem sive conciliationem spectans, in quâ enucleanda ipsos Reformatos inter se dissentire, nonnullosque eorum, inter quos etiam Piscator ipse est, cum Remonstrantibus sentire, nemini, mediocriter in illorum lectione versato, dubium esse potest, ut mirum sit Doctores adeo fidenter asserere, omnes Orthodoxos in eo convenire. Utinam vero placuisset Doctoribus hanc Remonstrantium sententiam ullo vel Scripturæ dicto vel argumento, prout in alijs speciminibus non raro facere studuerunt, redarguere! Sed quia id factum non est, & rem totam referre videntur ad examen capitis decimi & undecimi Apologiæ, nos etiam abstinebimus a prolixiore speciminis hujus ventilatione. *Quod subijciunt, non opus esse aliâ probatione, quam quod Remonstrantes obedientiam nostram perpetuo substituant obedientiæ Christi*, nimis profecto frigidum est, & eruditione eorum indignum. Nam 1. obedientiam proprie dictam confundunt cū fide, sive fidei obedientiâ, quæ etsi etiam obedientia nostra sit, ab obedientiâ tamen proprie dicta sive bonis operibus, ut fons a rivo, & radix a fructibus, distinguitur. Quantum autem eâ in re situm sit, ex eo apparet, quod ipsi Doctores negaturi non sint, si sapiunt, fidem nostram ad justificationem nostri requiri. At si quis inde concludat eos fidem nostram substituere obedientiæ Iesu Christi, an nō injuriam sibi fieri clamarent? At fidem, inquient fortasse, aliter accipimus quam Remonstrantes. Esto. At hoc in quæstione jam versatur, an recte, an secus a vobis accipiatur. Itaque quamdiu non probatur recte fidem a vobis accipi, tamdiu certum est rationem hanc & probationem admodum infirmam, ne dicamus frivolam, esse. Fidei enim obedientiam tantum requirimus ad justificationem, etsi non aliam, quam quę viva est, &, si ita libet, quatenus viva est. Deinde, quid hoc est, obedientiam nostram substituere obedientiæ Christi? An itaque obedientia Christi est formaliter nostra justitia? Fatemur hoc a nonnullis dici, sed quomodo consequenter hoc dici possit, non videmus. Nam si Christi obedientia est formaliter justitia nostra, quomodo fides

nobis

nobis imputatur in justitiam propter obedientiam sive meritum Christi? Obedientiam enim Christi formaliter propter obedientiam Christi ut caussam προκαταρκτικὴν nobis imputari, absurdum est. Quare, ut redeamus ex diverticulo in viam, si Reformatarū Ecclesiarum sententiæ consentanea dicere volumus, fatendum est, fidem pro objecto fidei, id est, obedientiâ Iesu Christi, tanquam formali justificationis nostræ caussa accipi non posse (formalis enim & προκαταρκτικῆς caussæ diversa est ratio) sed pro actu fidei, qui obedientiæ nostræ actus est, accipiendam esse, & cum fides mortua non justificet, sed viva, fidem itaque cum operibus, aut, quæ sine operibus non est, intelligi necessario debere. Quod interserunt, *nullum Reformatorum, ne quidem Lntheranorum esse, quem non in hac caussa judicem velint recipere, an non verum sit quod Remonstrantibus objecerunt eos in articulo de justificatione omnibus Ecclesijs Reformatis bellum indixisse,* quia speciem aliquam habere videtur, curatius paulum a nobis expendetur. Ignoscite viri Clarissimi si dubitare hic nos profiteamur, inscitia an temeritas vestra hic magis culpanda sit. Nam Lutheranos quod attinet, (quos an Reformatis accenseatis hoc in loco incertum est. Verba enim sunt ambigua.) si judices istos recipitis, si tribunal eorum postulatis, agite, conclamatū est, jam caussa cecidistis. Jampridem sententiam suam dixerunt in vos, & eandem quidem quam vos per eos in nos pronuntiatam iri creditis. Vos Vid. in hoc ipso etiam Articulo de Iustificatione a Reformatis Ecclesijs deflexisse, sanam doctrinam corrupisse, & in totum fere conspirare cum Pontificijs, inter alia hoc imprimis nomine, quod opera bona statuatis esse necessaria ad salutem. Vultisne testimonia? Videte Iacobum Reneccium in libro 1. de ortu progressu & exitu Calvinistarum qui prolixe id adstruere conatus est. Librum a. istum idcirco allegamus, quia eum maximi fieri apud Lutheranos intelligimus, usque adeo ut *Mathias Hoë*, primarius Concionator Electoris Saxoniæ, cum multa exprobratione glorietur adversus Ludovicum Crocium Professorem Bremensem, librum istum nunquam a Calvinistis confutatum esse, multosque ab ipsorum blasphemijs ad Lutheranæ Religionis professionem retraxisse: Adde huic Doctoris *Himmelij Professoris Ienensis Calvino-Papismum seu Harmoniam Calvino-Papisticam Theoretico-Practicam*, An. 1622. editam, ubi cap. VII. Calvinianos in totum ferme cum Pontificijs convenire in Articulo de Justificatione, asserit, & prolixe demonstrare nititur, ex scriptis Zuinglij, Bezæ, Calvini, Piscatoris, Alstedij & aliorum. Similia habet *Henricus Eckardus* S. S. Theologiæ

Docto-

Doct: & ſuperattendens SWartzburgicus apud Franckenhuſanos in Faſciculo controverſiarum Calviniſticarū, ubi Vos errare dicit *errorem peſtilentiſſimum*, dum adſeritis, *Sola quidem fide nos juſtificari, ſed non ſola fide ſalutem adipiſci:* quin & Piſcatoris aliorumq; Reformatorum ſententiam de Juſtificatione noſtri *per ſolam obedientiam Chriſti paſſivam* tanquam *peſtilentiſſimum errorem* peculiari libello acerrime confutavit: in præfatione vero Faſciculi ad Illuſtriſ: *Georgium Saxoniæ Ducem* prima non dubitat in hæc verba ſcribere, *Ex Articulis Cardinalibus & fundamentalibus, ne unum quidem Theologia Calviniſtica inviolatum nobis reliquit* & in altera: *In articulis profecto non paucis, neque levibus diſcrepantia inter nos ſumma eſt: nec magis, quam inter lucem & tenebras conciliatio tentari poteſt.* Gemina his legere eſt in ſcriptis Lutheranorum complurimis adeoque fere omnibus quæ nunc in lucem prodeunt. Quid? an his iudicibus ſtare aut cadere vultis viri Clariſſimi? temeritatem potius veſtram agnoſcite. Deinde, ponite in hac cauſſa Lutheranos vobiſcum ſentire, par tamen non eſt, ut ad illos judices provocetis. Nam pari imo multo majori jure Remonſtrantes ad eoſdem provocare vos poſſent in alijs articulis, qui tum apud vos tum apud Lutheranos in neceſſarijs cenſentur ac nominatim in articulo de Prædeſtinatione quippe in quo Remonſtrantibus cum Lutheranis omnino convenit. Hoc ſi libet, agite, experiamur an non ij conſentientibus calculis judicium noſtrū approbaturi ſint, quod in iſto capite Eccleſijs Reformatis bellū indicetis, quin imo annō addituri ſint, quod Deum in Diabolum transſformetis adeoque Deum Diabolo ipſo peiorem faciatis. *Balthazar Meiſnerus in Anthropologia* ſua, non dubitat ſcribere, *Impia quædam Calvinianorum dogmata, Socino inter alia occaſionem dediſſe, Chriſti meritum & ſatiſſactionem reijciendi, ac præcipue abſolutum Prædeſtinationis decretum. Si enim,* inquit, *ſola & abſoluta Dei voluntate homines ſunt electi ad vitam æternam, non opus fuit merito & ſatisfactione Chriſti. Conſequentia certa eſt, quoniam eædem ſunt cauſſæ electionis & ſalvationis. Si* ergo *Deus ex ſola voluntate quoſdam ab æterno elegit ſine omni intuitu meriti apprehenſi, utique & illos in tempore ex ſola voluntate benevola ſine merito Chriſti ſalvabit vel certè ſalvare poterit.* Reformatos cæteros quod attinet, uſque adeo bene ſperamus de non paucis eorum, ut, ſi rem totam accurate, & ex ęquo & bono expendant, nō dubitemus, quin æquiores eos habituri ſimus, quam Doctores credunt, & eouſque deventuros, ut, ſi non probaturi ſint ſententiam noſtram, controverſiam tamen tanti momenti non eſſe pronunciaturi ſint, ut

P prop-

propterea bellum Reformationi indictum dici possit. Sed quid opus est Iudicibus hujusmodi, Et quis finis? Ratio cum ratione, caussa cum caussâ certet, triumphet veritas, & Deus noster Iudex esto.

XIV. Specimen.

Defenditur Apologia quę cælo proscribere veretur eos, qui Christiano Magistratui negant licere sanguinem effundere & tamen contra sentiẽtes tolerare parati sunt.

DEcimum quartum Specimen nil nisi σκελετὸν est. Nuda tantum verba Remonstrantium in eo citantur, quibus profitentur *se libenter tolerare paratos esse, qui adeo teneræ, aut sic a teneris imbutæ sunt conscientiæ, ut credant, Christiano nulli, ne quidem Magistratum gerenti, licere sanguinem effundere, aut capitalibus supplicijs in sontes animadvertere, dummodo secus sentientes non damnent ut intolerabiles.* Quid in eo culpent Doctores, non addunt. Ad marginem tantum dicunt, *Remonstrantes tolerare velle Anabaptistas, hic male sentientes.* Ita est. At id fieri non licere ne verbo quidem innuunt. Nec sufficit ut id credantur Doctores innuere, eo quod ad marginem addiderunt, *Anabaptistas in eo malè sentire.* Nam malè sentire possunt Anabaptistæ, uti malè sentire eos credunt Remonstrantes, ut tamen adeo male non sentiant, quin tolerari possint. Sententia erronea non statim intolerabilis est sententia. Imo vero nisi sententia aliqua erronea sit sententia, ut toleretur, aut tolerabilis vel toleranda dicatur, per se absurdum est. Quare alterutrum omnino concludendum videtur ex his Doctorum verbis. Aut specimen hoc frustra cæteris insertum esse, aut Doctores credere errorem hunc Anabaptistarum intolerabilem esse, ac proinde etiam errare Remonstrantes in eo, quod errorem istum tolerari posse profiteantur. Prius ut credatur, Doctorum scopus & eruditio non permittunt. Posterius ergo ut credatur pene necessarium est. Quid autem Doctores moverit, ut hanc mentem & sententiam suam tegere aut dissimulare maluerint, quam aperte profiteri, haud difficile est conijcere: Nimirum vident Anabaptistas in Repub. nostrâ non modo tolerari, sed autoritate etiam publicâ protegi, & cœtus eorum frequentissimos esse in Fœderatis Provincijs. Tutum esse non existimarunt ignem gladio fodere & tum Magistratuum, tum Anabaptistarum omnium odium in capita sua concitare. Illorum, quod in Republi. suâ tolerent cætus istos, in quibus doceri certum est ea, quæ tolerari nec possunt, nec debent. Horum, quod ex eo consequatur cœtus eorum turbandos, & tanquam intolerabiles exter-

exterminandos esse, Sed quidquid dissimulent Doctores, suo tamen sorices se indicio produnt: Qui enim profitentur errare eos, qui tolerandos putant Anabaptistas in hoc capite male sentientes, ij non obscure significant, sententiam istam Anabaptistarum non tantum esse erroneam, sed & intolerabilem. Quid enim culpæ habet tolerare velle errorem tolerabilem? Sed profecto consequentiâ hac opus non est, ut hanc Doctorum esse sententiam intelligatur. Iudicia eorum quibuscum sentiunt in publico & propatulo sunt: Et actiones, ubi rerum potiuntur, dubitare neminem sinunt, quin errorem istũ intolerabilem censeant. Nos sententiam hanc non exagitabimus multis; Tantum hoc unum dicimus, nec novum, nec mirum videri debere, quod Remonstrantes errorem hunc non censeant intolerabilem, cum, primò certum sit non paucos veterum Patrum fuisse, qui illum Anabaptistarum errorem errarunt, quos tamen Ecclesia prisca non modo non damnavit, sed in magno honore habuit & sinu etiam suo fovit aluitque. Deinde, quum indubitatum sit, nihil unquam hac de re determinatum reperiri in priscis Ecclesiæ Symbolis, aut Concilijs, quæ tamen omnia ad salutem creditu necessaria continere statuuntur.

XV. Specimen.

DEcimum quintum Specimen lacinia tantum est, quę bonâ fide Apologię detracta non est: Duo enim in Apologiâ suâ dixerant Remonstrantes, *Primò*, in Decalogo non *expressè* tradi præcepta, quæ nos ipsos spectant, puta, de abnegatione nostri, de crucis tolerantiâ, de bonorum ad hanc vitam usu, &c. Nec ex eo quod dilectio Dei in eo præcipiatur *directè* concludi, præcepta decalogo contineri, quæ nos ipsos spectant. *Expressè*, inquam, & *directè*. Non enim negant præcepta, quæ nos spectant, per analogiam & prolixam consequentiam ad pręceptum dilectionis Dei reduci posse. Imo contrarium disertè affirmant pag. 142. Nec quemquam esse credunt Doctorẽ, qui ista aliter lege contineri docet: Sudet facultas Theologica, & in mille formas se vertat, non alia ratione ea lege contineri evincet. *Secundo* addiderant Remonstrantes; posito etiam quod præcepta ista, lege sive Decalogo alia ratione contineri seu præscripta esse credantur, quæstionem tamen istam, an & quomodo contineantur, inter Christianos tanti non esse, ut propterea funis contentionis trahi mereatur, cum certum sit

An in Decalogo expresse tradantur præcepta quæ nos ipsos spectant.

Christianos non obstringi ad legis divinæ observationem aliâ ratione, quam quatenus ea in Evangelio Iesu Christi tradita atque exposita est. Et cum in eo Christiani omnes conveniant, legem Christi perfectam perfectæ vitę normam ac regulam continere, nec necessarium, nec operæ pretium esse, ut ij inter se contendant, quomodo regula ista lege divinâ citra istam Christi Domini expositionem contineatur. Nam, sive hoc, sive illud credant, certum tamen atque indubitatum utrimque manet, Christianis omnibus ac singulis secundum illam regulam vivendum esse, quam Christus Dominus eorum tradidit. Quid in his duobus capitibus culpari merito possit, Lectori judicandum relinquimus. Ne lynx quidem id videat.

Ostenditur quæstionem hanc non esse necessariã adeoq; inutilem.

XVI. Specimen.

DEcimum sextum Specimen ad quartum de Prædestinatione articulum pertinet, cum tamen in limine horum excerptorum Doctores professi sint, se dogmata alia non excerpturos, quam quæ præter & extra quinque Articulos controversos sunt. Deinde, non habet dogma aliquod peculiare, sed tantùm privatam aut peculiarem expositionem loci unius I. ad Corinth. IV. 7. contra expositionem, quæ a Censoribus in censurâ ipsorum, pro gratiæ irresistibilis operatione allata fuerat, quam ut calumniæ oportunam hic arripuerunt Doctores, non quod peculiare aliquod dogma contineat, sed tantum quia verba quædam continet, quæ odiosè traduci posse crediderunt. Dixerant Remonstrantes in Apologiâ suâ ad locum I. Corinth. IV. 7. à Censoribus productum, *Quis est qui te discernit? quid autem habes, quod non receperis? quod si etiam accepisti, quid gloriaris quasi non receperis?* Hæc duo, I. Locum istum non agere de donis, ut loquuntur, gratum facientibus, proinde nec de ijs, quibus efficitur in nobis fides, sed de donis gratis datis, quæ fidelibus aut fidem profitentibus dari in Scripturâ dicuntur; per consequens, argumentum, quod ex loco isto petitur, ad controversiam hanc nostram non facere. II. Gloriationem illam quam homini ademtam vult isto in loco Apostolus & Scriptura passim, non posse accipi de istâ gloriatione, quam fidelibus & bene operantibus alibi concedit idem Apostolus ad Gal. VI. 4. ubi Apostolus disertè ait, *unusquisque opus suum probatum reddat & sic gloriationem habebit non in alio, sed in semet ipso.* Hoc utrumque, licet per se clarum, hic tan-

Specimen impertinens & absurdum.

Defenditur expositio loci I. Corin. IV. 7. prout in Apologia facta est

tanquam notabilem hæresin, aut errorem exagitant Doctores. Argumentum eorum contra utramque expositionem hoc est, *Si homo etiam discriminat se ipsum, ita ut gloriari de eo possit, tum laus ejus erit non tantum ex Deo, sed etiam ex hominibus, & non erit Dei miserentis, sed hominis etiam volentis & currentis:* At *hoc utrumque directè est contra Apostolum. Primum, contra id quod est* Rom. 11. vers. ult. *Cujus circumcisionis* (internæ sc.) *Laus non est ex hominibus sed ex Deo. Secundum, contra id quod legitur* Rom. IX. 16. *Non est volentis nec currentis, sed miserentis Dei.* At quam debile atque infirmum hoc sit argumentum, locorũ illorum, quę Doctores allegant, propior inspectio manifestum facit. *Locus enim primus* Rom. 11. ult. nihil aliud insinuat, quam laudem istam, quam ij habent, qui circumcisioni isti cordis sive internæ student, de quà Apostolus loquitur, non esse fluxam, fragilem, atque evanidam, qualis est laus, quam homines hominibus tribuunt, sed solidam, firmam, ac perennem, qualem Deus tribuit, ita ut phrasis, *ex Deo esse*, hic non significet, cujus caussa a Deo est, sed quam & qualem Deus tribuit. Evincitur id ex oppositâ Phrasi, *ex hominibus esse*, hæc enim aliud significare non potest, quàm laudem talem qualem homines tribuere solent, id est, fluxam, incertam atque evanidam. Deinde patet ex naturâ rei ipsius. Laudem enim alicui dare, veluti virtutis præmium, quid aliud est, quam agnoscere & prædicare aliquem laude dignum esse? Nemo autem dignus laude dici aut prędicari recte potest, in quo non aliquid est, quod is, qui laudat pro vere laudabili opere habet. Denique, quod exceptione omni majus est, ex disertis Apostoli verbis, ad Gal. VI. 4. res evincitur. Nam Apostolus ibi expresse eum, *qui opus suum probatum reddit*, asserit *habere* καύχημα sive *gloriationem in se ipso* & (ut emphasis appareat) *non in alio. Secundus* locus ex Rom. IX. 16. est impertinens. Nam *velle* & *currere* isto in loco non est bene velle, aut bene currere ex præscripto Christi, nedum velle credere in Christum (Quis enim dicat Apostolum verbis istis fidem exclusisse, hunc in modum, non est credentis, aut volentis credere? Hoc enim directè scopo & sententiæ Apostoli repugnat) sed velle beneficia divina consequi, atque idcirco currere aliâ viâ quam ea quâ misericors & liberrimus Deus eâ obtineri vult. Quod patet ex duobus 1. quia respicitur isto in loco ad voluntatem Mosis, quâ cupiebat & volebat videre gloriam Dei, & ad cursum, venationem, ac lachrymas Esaui, quibus benedictionem consequi volebat per id, quod Deus in typo non volebat esse medium ad consequendum benedictionem illam primogenito

Diluitur argumentũ Doctorũ desumtum ex Rom. 11. vers ult. & Rom. IX, 16.

 pecu-

peculiarem, quam ex misericordiâ Iacobo, licet secundo genito, destinaverat: Ut videlicet ex eo evinceret Apostolus id, quod intendebat probare, dona sc. ac beneficia, quibus Deus homines dignatur, ac proinde etiam donum immortalitatis ac justitiæ, quod Apostoli, Dei nomine, hominibus promittebant, non eorum esse, qui ea quovis modo consequi volunt, utque ea consequantur, non aliter quam pugiles in stadio, aut Esau, & Venatores currunt ac laborant, sed eorum demum, quibus ea destinavit Deus pro misericordiâ suâ eâ viâ conferre, quam ipse probat ac præscribit. Atque hoc optime conveniebat scopo Apostoli, qui erat, indicare, Iudęos frustra esse, ac futuros, quamquam Zelo divinę legis accensi currebant, & totâ voluntate suâ adnitebantur ex operibus legis justitiam consequi a Deo, quia Deus jam per Evangelium suum ipsis monstraverat viam pro singulari gratiâ ac misericordiâ suâ, quam inire ipsos volebat, ut justitiæ ac vitæ æternæ beneficium ab eo obtinerent. II. Idem evincitur ex eo, quod, currendi verbum quod attinet, alibi Apostolus nos jubeat *currere, ut comprehendamus* (vitam sc. æternam) I. Cor. IX, 24. *Sic currite, ut comprehendatis* (præmium sc, vitæ æternæ) Alibi vero etiam Christianos laudet quod *currant* & *pulchrè currant*, Hebr. XII. I. Gal. V. 7. & vicissims non currentes aut in cursu non pergentes, acriter reprehendat, ibid. Et *volendi* verbum quod attinet, in Scriptura frequenter jubemur *velle facere voluntatem Dei, velle ambulare post Christum, velle sequi Christum*, usque adeo ut Apoc. XXII. 17. dicatur, *Qui vult, accipiat aquam vitæ gratis* & Ioh. VII. 17. *Siquis vult facere voluntatem Patris mei, hic cognoscet de doctrinâ* &c. Et reprehenduntur etiam multi eo nomine, quod non voluerint venire ad Christum, Ioh. V. 40. quod non voluerint congregari Matth. XXIII. 37. *Ego volui congregare filios tuos in te, o Ierusalem, idque sæpius, sed vos noluistis.* Hæc cum ita sint, quis credat Apostolum verbis istis, *non est volentis non est currentis*, dicere voluisse id quod Doctores volunt? Sensus itaq; loci hic erit. Non est satis ad hoc ut beneficia & favorem Dei consequamur, si ea quovis modo & pro arbitrio ac sensu nostro consequi velimus ac studeamus, currentiū instar in stadio: sed requiritur ut ea consequi studeamus eo modo, ac via, quæ Deo placet, quam sibi placere significat, & quâ nos ea consequi vult.

XVII. Specimen.

Decima

DEcimum Septimum Specimen jam antea ventilatum eſt. Originalem illam pravitatem ſive *innatam concupiſcentiam*, quæ in nobis eſt ſimulatque naſcimur, non referri inter *debita iſta, quorum remiſſionem petimus in oratione Dominicâ*, Remonſtrantes nec ſoli nec primi adſerunt. Zuinglium id jam multo ante in terminis adſeruiſſe, ex ſcriptis ejus evicimus. Et ut inter ea referatur, ratio non permittit. Nec enim eſt proprie dictum peccatum, ergo nec proprie dictum debitum. Et quod ſine voluntate noſtrâ propriâ contractum eſt, quo modo debitum noſtrum eſſe poteſt, quod nos reos facit graviſſimę pœnę, ſive obnoxios divinę irę atq; ęternorum cruciatuum? Debitum & originale ſibi invicem contradicunt. Nemo debitor fit aut fieri jure poteſt alienæ culpæ, nemo hæres. Hæredibus omnibus renunciare licet debitis parentum ſuorum, ſi bonis omnibus paternis velint cedere. Nemo invitus hæres fit. Morbi & mala hæreditariâ tranſitione pervenire poſſunt ad poſteros licet nolentes atque invitos. At culpa, quæ naturâ aut vi ſuâ reum aliquem pœnę facit, ut tranſeat in voluntatem alterius, plane impoſſibile eſt. Ratio hæc tam aperte vera eſt ut notio prima videri debeat.

Defenditur Apologia quæ adſerit peccatum Originale non referri inter debita, quorū remiſſio petitur in Oratione Dominica.

XVIII. Specimen.

DEcimum octavum Specimen duo habet membra, Primum eſt, Remonſtrantes *diſputare & concludere, Chriſtum voluntati Patris ſui de Legatione ad ſalutem noſtram potuiſſe non obedire & proprie peccaturum non fuiſſe, ſi non obediviſſet.* Quid hic eſt quod meretur culpari? An quod Chriſtū dicant potuiſſe nō obedire volūtati Patris ſui? At ſi potuit obedire, imo ſi propriè obedivit, potuit nō obedire. Qui enim non poteſt non obedire, is non obedit aliter quàm cœlum atque aſtra Deo dicuntur obedire. Qui non poteſt nolle, non poteſt dici velle. Et hæc tantum non prima notio eſt. An quod dicant Chriſtum proprie peccaturum non fuiſſe, ſi non obediviſſet? At quid divinâ Majeſtate, tum Patris, tum Chriſti Mediatoris dignius dicere poterant? Ex eo enim evincitur, legationem Chriſti honorariam fuiſſe provinciam, quam, ſi voluiſſet, potuiſſet non ſuſcipere, idque ſine peccato. Non defuerunt inter Scholaſticos, nec deſunt hodieque, qui adſeruerunt, adſeruntque ſine ullo periculo, Chriſtum non tantum potuiſſe non obedire, ſed etiam potuiſſe

De obedientia Chriſti, an. Vid. ita libere obedierit Patri, ut potuerit non obedire.

pec-

peccare, uti in Apologia demonstratum est. Alterum est, *De fide & obedientiâ eorum, qui miraculose convertuntur, & Angelorum beatorum*, an proprie dicta sit obedientia, sive virtus obedientiæ, de eo ut disputent Magistri nostri cum Lombardo Magistro Sententiarum, per Remonstrantes licet: Disputationes hæ aridiores sunt arenâ & ingeniorum cruces. Enimvero, quid ad rem facit hoc an illud dicatur? & quis exitus? An per Scripturas? At in ijs de hac re altum silentium est. Difficiles istę nugę Scriptoribus Sacris fastidio fuerunt. An per Scholarum & Academiarum regulas? At illæ etiamnum laborant circa libertatis definitionem, sine cujus tamen exactâ cognitione, quæ obedientia proprie dicta obedientia sit, intelligi non potest: Obedientia enim proprie dicta obedientia esse non potest, nisi libera sit: Videantur tantum ea, quæ inter Pontificios & Calvinistas de eâ disputantur. Ac Doctores hos quod attinet, ij in Synopsi suâ, libertatem sic definiunt, ut pudeat ac pigeat eam legere aut referre. Labyrinthus est. Nescis quid dicant aut sibi velint, uti alibi id a nobis demonstratum est. Quocirca ut controversia hęc in litem Philosophicam aut Metaphysicum jurgium tandem desinat necesse est: Verum enimvero non existimandum tamen est quasi Remonstrantes quæstionem illam de libertatis definitione inter quæstiones referant, quæ parvi momenti sunt & exiguæ utilitatis: Nihil minus: Inter eas, quæ utiliter agitantur quæstiones, hanc non postremo si non primo ac præcipuo loco habendam esse censent. Attamen inter præcise necessarias non collocant, quia fieri posse credunt, ut sine ejus perfectâ cognitione, mandatorum Dei obedientia constet. Atque hæc caussa est, cur eos, quos in eâ recte apprehendenda errare credunt, tolerare semper parati sint, dummodo pij sint ex præscripto Christi, & alios a se dissentientes vicissim tolerare parati sint.

De obedientia eorũ, qui miraculose convertuntur & Angelorum beatorum.

XIX. Specimen.

DEcimum nonum Specimen de *resurrectione eorundem numero corporum* agit. De eo fatentur Remonstrantes se nihil certi definivisse, sed unicuique suum judicium reliquisse liberum, donec summus Arbiter quæstionem decidat. Non negant itaque nec affirmant quicquam de hac quæstione in alteram partem. Quid mirum? Nuspiam præivit Scriptura, aut S. Dei Spiritus. Dubia ex utràque parte sunt multa & gravia. Et qui pro hac aut illâ parte stant

De resurrectione eorundem numero corporum.

ſtant, iј omnes identitatem individualem, ſive numericã reſurgentium ſalvari poſſe credunt & ſalvam cupiunt. Calvinus ipſe cum quæſtionem hanc ventilaret in Epiſtolis ſuis, eam *inter curioſas magis quam utiles* referendam eſſe cenſuit. Hæc argumenta crediderunt ſufficere pro ἐποχῇ ſuâ, At, inquiunt Doctores, *nemo Epiſtolam iſtam Calvini leget, qui non videat injuriam fieri Calvino.* Cur? Sunt ipſiſſima verba Calvini, quæ ex Epiſtolâ ejus recitantur. Fatentur id Doctores, at regerunt *rem ipſam tamen ita decidi a Calvino ut aliter conſtare non poſſe cenſeat Articulum Symboli de reſurrectione carnis.* At 1. Sic hoc ita eſt, doceatur ergo quomodo quæſtionem hanc inter curioſas magis quam utiles retulerit. Hæc enim non poſſunt conſiſtere. Alterutrum dicendum eſt. Aut Calvinum ſibi non conſtare in tam brevi Epiſtola quod plane non eſt veriſimile: aut Calvinum crediдiſſe Articulum iſtum ſic intellectum præciſe creditu neceſſarium nõ eſſe, ac proinde ſi modo reſurrectio mortuorum firma fide credatur, curioſitatis eſſe operoſe atque anxie de ſenſu Articuli iſtius prout jacet diſceptare: Atque hoc omnino credibile aut veriſimile eſt: Ita cenſere quis poteſt Articulos de *deſcenſu Chriſti ad inferos, de communione Sanctorum de Eccleſia ſancta, Catholica* conſtare non poſſe, niſi intelligantur de ſtatu mortis, de externa in profeſſione fidei communione & de ſanctitate morum ac Catholiciſmo in fide reſpectu gentium ac Iudæorum ut tamen curioſum potius, quam utile eſſe credat, anxiè de iſtis ſenſibus digladiari. 2. An appareat ex Epiſtolâ iſtâ, Calvinum hanc rem ita decidere, ut aliter conſtare non poſſe cenſeat articulum Symboli de reſurrectione carnis, ut Doctores aſſerunt, Lectori judicandum relinquimus. Nobis ita videtur Calvinum rem decidere & ſententiã ſuã contra Lęlium Socinũ dicere, ſed nõ ita, ut neget fieri nõ poſſe, ut quis credat reſurrectionem carnis, niſi credat eadẽ numero corpora reſurrectura. Alioquin quæſtionem hanc inter præciſe ſcitu ac creditu neceſſarias poſuiſſet, quod plane verbis iſtis, quæ citavimus, repugnat. Quamquam ſi id omnino feciſſet, parũ eâ in re poſitum eſſet. Remonſt: credunt graviſſimas rationes eſſe, cur de iſta quęſtione tutius utiliuſq; ſit ſuſpendere judicium & deciſionẽ ejus Deo committere, quã fidenter in alterã partẽ quid pronunciare, nedũ eam neceſſarijs accenſere. Nam 1. Scriptura nihil de ea expreſſe definivit. 11. Non laborat articulus Symboli ſive hoc, ſive illud dicatur. Carnis reſurrectio non neceſſario hujus ejuſdem numero carnis reſurrectionem notat. Aliud enim eſt caro, aliud hæc caro. Et evincitur hoc ex eo, quia olim Origeniſtæ fatebantur nos reſur-
 rectu-

recturos cum corporibus carneis, at non cum his, in quibus anima nostra nunc degit. Quæ caussa fuit, cur olim in Symbolo, quod exponit Cyprianus, Aquilegiensi fuerit additum in articulo Symboli, pronomen *hujus; Credo carnis hujus resurrectionem.* 111. Hac ratione veluti uno ictu ansa preciditur innumeris, nō minus difficilibus, quam curiosis, ineptisque quæstionibus, quæ aptæ natæ sunt fidem & veritatem totius Articuli de resurrectione mortuorum plane suspectam reddere ac dubiam, cujusmodi nō paucas recensere hic possemus, sed quas silentio premere malumus quam sine necessitate promere. Remonstrantes non amant istas quæstiones, quæ potius comparatæ sunt curiosos pascere, infirmos offendere, eruditos affligere, profanos in profanitate suâ stabilire, quam pios & Christianos ædificare, aut quemquam meliorem reddere.

XX. Specimen.

An anathemate digni sint, qui per conscientiam gravantur Baptismo istam efficaciam tribuere quod sit signaculum remissionis peccatorum.

VIgesimum caput nihil habet in quo magnopere laborandum sit. Fatentur Doctores non reijci a Remonstrantibus sententiam de *Baptismi efficaciâ*, quod vid. sit *signaculum remissionis peccatorum*, quam Reformatas Ecclesias unanimiter credidisse & docuisse asserunt; Sed hoc solum culpant, quod Remonstrantes Anathema non dicant in eos, qui Baptismo istam efficaciam tribuere per conscientiam gravantur. Verum quid hac in re jure merito culpari possit, Remonstrantes non vident. Nam tantum abest, ut Scriptura necessarium esse pronunciet uspiam, ut Baptismo ista tribuatur efficacia, ut ne verbulo quidem istam efficaciam Baptismo tribuat, neque signi, neque signaculi vocem ullibi usurpet. Profectò, qui usque adeo proni sunt in Anathemata, sine ullo prævio dictamine Spiritus S. in Scripturis, ij viderint ne se dignos gravi Anathemate coram Deo reddant, quod in capita sua accersunt præcipiti istâ damnandi ac maledicendi libidine. Hinc enim fit ut Sectarum odia reddantur immortalia, & paci atque concordiæ aditus omnis intercludatur, dum Sectæ sibi invicem cœlum & inferos superbis denunciationibus decernunt, idque fere ob vocabula artis aut quæ humana confinxit industria.

XXI. Specimen.

Vige-

VIgesimum-primum Specimen ejusdem est monetæ; Pædo Baptismi usum non damnant Remonstrantes, sed tantum præcise necessarium necessitate, seu præcepti, seu medij esse negant. Hinc eos, qui eum per conscientiam usurpare non audent, & interim alios, eum, seu ex conscientiâ, seu ex traditione, consuetudine, vel recepto more usurpantes tolerare parati sunt, vicissim se tolerare velle profitentur: Rationes eorum vide sis in Apologia. Quod crimen? *Hac ratione* (inquiunt Doctores) *quæcunque contra Anabaptistas disputata olim fuerunt, & etiamnum disputantur paucis verbis obliterantur a Remonstrantibus:* Nempe, quæ pro necessitate Pœdobaptismi contra Anabaptistas disputata sunt, non alia (universalis enim hæc aut indefinita consequentia Doctorum alioquin absurda foret.) At ista vel admodum paucà sunt, vel talia fere, ut optandum omnino sit, ea, vel nunquam disputata esse, vel melioribus ac solidioribus rationibus confirmata, vel saltem, majore cum caritate ac moderatione in utramq; partẽ ventilata esse. Eorumque pro usu Pædobaptismi quod vid: ratio nulla sit cur damnandus sit tanquam illicitus, disputata sunt, alia ratio est. Remonstrantes ea non tantum obliterata non volunt, sed rectè atque piè disputata esse existimant. Atque hoc apparet ex eo, quod Pædobaptismi usum in Ecclesijs suis inviolatum conservent: Utinam vero eo loco res Christianorum essent, ut in disputationibus eorum accurate semper distingueretur inter veritatem & necessitatem rei de quâ controvertitur! Brevi epicedium scriberetur multis non necessarijs & acrioribus quam caritati Christianæ par est, digladiationibus. Repente in spongiam incumberent & unâ liturâ delerentur infinita disputationum volumina, quorum γάϱγαϱα nunc Christianum orbem pene obruunt ac suffocant. Sed hoc sperare vix licet. Confusæ fere sunt disputationes, adeo ut pro veritate alicujus rei non minus acriter contendatur, quam si ea ad salutem scitu ac creditu prorsus necessaria esset. Hinc iræ atq; odia, lites ac jurgia sine fine ac modo. Id si alibi, certe in hac quæstione de Pędobaptismo, usu venisse nemo potest ignorare. Quare si eæ paucis verbis a Remonstrantibus obliterentur, aut obliteratæ cupiantur, nemo pacis ac concordiæ Christianæ studiosus jure merito ægrè ferre debet. Sed nec Remonstrantes primi aut soli sunt, qui id tentant. Non pauci omni fere ævo fuerunt qui contra Pædobaptismi necessitatem pugnarunt, eamque introductam fuisse postliminio in Ecclesiam Iesu Christi, scriptis suis demonstrare conati sunt. Nec

An articulus de Pædobaptismo præcise creditu sit necessarius.

hoc tantum, ſed nec defuerunt etiam qui ipſum Pædobaptiſmi uſum Apoſtolicæ inſtitutionis eſſe negarunt: *Eraſmus* eum poſt Apoſtolorum tempora introductum in Eccleſiam eſſe ait in Annot. ad Rõ.v. *Ludovicus Vives*, eum olim veteribus inuſitatũ fuiſſe ſcribit in notis in Aug. de civitate Dei lib.v. cap. 27. *Caſſander*, tertio poſt Chriſtum ſæculo demum receptum eſſe, tradit. *Iohannes Bohemus* lib: 2. de Gentium moribus, eum apud veteres plane non fuiſſe in uſu aſſerit. Ipſe Auguſtinus, uti refert Eraſmus, belligerans adverſus quoſdam de Baptiſmo parvulorum, non audet aſſerere, eum manaſſe ab Apoſtolis, ſed probabile videri, quod ignotũ eſſet, quis ejus exempli primus fuiſſet author. Nõ neſcimus eſſe, qui cõtra hęc alia regerunt teſtimonia ex antiquis, tum Patribus tũ Concilijs, ſed ea talia non ſunt, ut potiora videri debeant ijs, quæ pro negantium parte militant, ſaltem, ut neceſſitatem Pædobaptiſmi ijs adſertam eſſe evincatur; &, ut ut ſit, Remonſtrantes nec primos, nec ſolos eſſe, qui neceſſitatem Pædobaptiſmi negant, ex antedictis manifeſtum eſt: Adde, quod certiſſimum eſt, & rem hanc non parum confirmat, ipſos Pontificios fateri Pædobaptiſmum non eſſe divinæ inſtitutionis, aut ex Scripturis probari ſolide poſſe, ſed cæremoniam ab Eccleſiâ ordinatam ac præſcriptam, uti diſerte *Franciſcus Coſterus Jeſuita in ſcuto ſuo* profitetur, & alij cum ipſo; Et ejuſdem opinionis fuiſſe videtur *Henricus Bullingerus* Serm. 1. Decad. 2. ubi poſt diſtinctionem factam inter præcepta divina & humana, Pędobaptiſmum inter humana refert, & *Eccleſiæ præceptum* vocat. Sed vide hac de re quæ in Apologia prolixius tractata ſunt. Quod Doctores addunt, *Remonſtrantes hac viâ atque arte Socinianorum & Anabaptiſtarum communionem ambire*, id profecto ut invidioſum, ita frigidum prorſus eſt ac frivolum. Nam ſi Sociniani in alijs multò gravioribus capitibus ſeorſim ab ijs ſentiunt, quæ ambiendi ratio, aut quæ ſpes, ut hac arte eorum communio obtineatur? Si non diſſentiunt in alijs, quid mirum, ſi eorum communionem propter hoc fugiendam negent Remonſtrantes? Anabaptiſtas quod attinet, tantum abeſt ut hac arte eorum communionem Remonſtrantes ambiant, ut contra hac viâ eorum communionem inhibeant atque impediant: Plerique enim Anabaptiſtarum ita Pædobaptiſmum damnant, ut ejus uſum in Eccleſiâ illicitum, ſeu non ferendum eſſe exiſtiment, atque idcirco communionem colere detrectent cum ijs, qui uſum iſtum ex Eccleſijs ſuis non exterminant ac proſcribunt: uti enim Calviniſtæ uſum iſtum, ubi haberi poteſt, neceſſarium faciunt, ita illi eum prorſus illicitum eſſe volunt. Inter hæc

extre-

extrema cum medij incedant Remonſtrantes, quid verſimilitudinis habet, eos, aut illorum odio ſtudere, aut horum gratiæ litare velle? Contrarium potius velle videri deberent Doctoribus; quamquam aliud propoſitum ſibi non habent Remonſtrantes, quàm non neceſſario ſchiſmati, quod ex iſto etiam Articulo naſcitur, occurrere. Sed hoc unum fere agunt Doctores, ut ad conciliandum Remonſtrantibus ſummam, quam poſſunt, invidiam, perſuaſum reddatur mundo, Remonſtrantes Sectarum omnium ac nominatim, quos exoſiſſimos eſſe ſciunt, Socinianorum & Anabaptiſtarum amore ac ſtudio teneri: Atque hoc cum ad quamlibet occaſionem dixerunt, magnum ſe operæ pretium feciſſe credunt, uſque adeo ut tantum non ſibi ipſis crebro accinant, *hoc illud eſt*. Sed accidit fere illis, ut, quod proverbio dici ſolet, mulum de aſino pingant, & quod Poëta ait.

Entellus vires in ventum effudit.

XXII. Specimen.

Vigeſimum ſecundum & ultimum ſpecimen eſt *de Magiſtratus coactivâ poteſtate circa ſacra, quouſque ea ſe extendat*. Carpuntur Remonſtrantes a Doctoribus, quod eam non extendant ulterius, quam ad perſonas, loca, & functiones publicas, quæ in templis publicis juri eorum ſubditis fiunt. Non autem ad perſonas, loca & actiones, quæ extra templa publica religionis & conſcientiæ ſolius cauſsâ fiunt. *Quorſum hæc tendant*, inquiunt, *ſatis notum erit D.D. Magiſtratibus*. Ita profecto eſt & ut hoc non notum tantum, ſed notiſſimum & perſuaſiſſimum ſit D.D. Magiſtratibus, ex animo optant ac cupiunt Remonſtrantes. Nihil æque prodeſſe poſſe credunt ad ſalutem Rectorum, pacem & concordiam Subditorum, totiuſque Reip. tranquillitatem atque incolumitatem. Nec cauſſam videre poſſunt Remonſtrantes, cur hoc ægre ferant Doctores, qui cum ſuis ὁμοψήφοις hactenus, imprimis, cum ſub jugo Pontificio gemerent, conſcientiarum & ſine quibus conſcientijs ſuis ſatiſfieri non poſſe clamabant, exercitiorum cœtuumque libertatem, ſibi ſuæque Sectæ poſtulare, atque ubi opus fuit vi atque armis adſerere ac vindicare non dubitarunt. Alterutrum enim ut dicant neceſſe eſt. Aut non recte ſe feciſſe cum libertatem iſtam ſibi ſuæque Sectæ a Magiſtratibus concedi poſtularunt ne conſcientijs ſuis vis fieret; Aut non recte ſe hic facere, cum Remonſtrantes heterodoxias culpant,

De Magiſtratus coactiva poteſtate circa ſacra, quouſque ea ſe extendat.

pant,

pant,quod poteſtatem Magiſtratus coactivã circa ſacra non extendant ulterius,quã ad perſonas,loca,& functiones publicas.Enimvero,ſi Magiſtratus non tantum poteſt,ſed ex officio etiam debet animadvertere vi coactivâ in loca, & actiones privatorum, quæ ſolius Religionis & conſcientiæ cauſſâ fiunt, ita ut a ſeditione omni ſint alienæ (quod ſemper hic præſupponitur) cur non potuit, adeoque non debuit Magiſtratus Pontificius, aut quicunque tandem is fuit, in ipſos, ipſorumque ſegreges cœtus, vi coactivâ animadvertere ſalvâ conſcientiarum libertate? Sane ubi eadem ratio, ibi idem jus militat. Quare non minus contra ſe ipſos, quam contra alios, ac nominatim contra Remonſtr: hanc ſententiam ſuã facere vident; Sententiam vero Remonſtrantium, quam damnant, econtrario non minus ſibi prodeſſe quam alijs. Quæ res ſola ſufficere potuiſſet ac debuiſſet Doctoribus, ut de hac Remonſtrantium ſententiâ non tam inique judicarent. At inquiunt, *ſic omnibus omnino Sectis libertas conveniendi fiet, dummodo excipiantur loca quæ ex Magiſtratus ordinatione publica ſunt*. Eſto. Si uni,ſi veſtræ Sectæ,cur non omnibus? Par omnium eſt ratio. Nullum Secta ulla privilegium habet, nedum veſtra: Nec ulli, ſeu Sectæ, ſeu Magiſtratui peremtorium de controverſijs judicium competit. Aut ſi competere vultis Magiſtratui judicium iſtud, ut de veſtrâ Sectâ judicaret ac pro arbitrio ſuo ſtatueret, æquum fuit. Videte ergo etiam atque etiam, an non hac ratione Hiſpanam ſive Albanam ſævitiam, olim contra ſegreges ac non raro armatos cœtus veſtros jure exercitam eſſe atque etiamnum ubi ea viget, jure exerceri ſtatuere neceſſe habeatis. Ne quæſumus palpum vobis ipſis obtrudite, quaſi vos ij ſoli ſitis, quibus privilegium ſegreges cœtus faciendi invitis aut ingratijs omnibus terræ Rectoribus cælum fecerit, imo quibus ſæculare brachium ſervire debeat contra omnes a vobis veſtriſque cætibus ſeorſim convenientes. Nimium impenſe vos amatis, ſi iſto lenocinio vobis ipſis imponitis. Si vos non errare creditis, ſi ſectam veſtram orthodoxam eſſe vobis perſuaſum itis, cogitate idem alias ſibi perſuadere; Nec minus alijs inviſam eſſe ſectam veſtram, quam aliarum omnium vobis inviſa eſſe poteſt. Nulla tam atrox hæreſis ſectæ ulli impingitur,quin atrocior imo atrociores multæ vobis veſtræque ſectæ impactæ olim fuerint, hodieque impingantur ab omnibus tum Pontificijs tum Lutheranis Magiſtratibus, qui nunc fere in Chriſtiano orbe jura imperij ac Majeſtatis habent. Nec hoc ſolum, Quoſvis potius quam vos tolerandos clamant, quia vos non contenti communi conſcientiarum libertate, ſoli ubique per fas ac

nefas

nefas rerum potiri vultis & a quibus primum blande petitis tolerari, eos, prima quaque occasione se dante, oppressos, expulsos aut crudeliter vexatos, proscriptos exterminatosq; cupitis, nõ aliter quam Cananæos, Iebusæos, Pheresæos aliosque populi divini hostes. Nempe vos soli Israel ille Dei istis, cui jus ac privilegium terrę datũ est; Cæteri nothi ac spurij sunt, injusti terræ possessores, prædones ac raptores, quos possessione sua deturbari a vobis æquum est, quippe quos domus & gloriæ divinę Zelus solos ac totos occupavit ac tantum non devoravit. Nec sine caussa hæc credunt. Experimentis crebris edocti sunt, &, si alia deessent, hoc unum sufficeret, quod in Remonstrantes fidei quondam vestræ consortes, quos contra fas & jus saltem sine caussa aut necessitate a vobis expulistis, & segreges cœtus facere coegistis, jam decennium & ultra omni crudelitatis genere sævijstis, hodieque adhuc sævire non desinitis, dum Patriæ Rectores in capita & cœtus eorum, quâ potestis, concitatis, Comitia eorum assiduis libellis supplicibus interpellatis, solicitatis, lacessitis, ut edicta sua mulctarum & carceris æterni pæna, consilio vestro sancita, inviolata atque æterna esse velint, neque permittant ut uspiam Remonstrantes, quà clam quà palam cætus impune faciant, sed rigida ac severa edictorum suorum executione eos reprimant ac coerceant, Hoc unum inquam sufficeret nisi alia pluria essent multis retro annis a vobis vestrisque contra omne jus ac fas actitata, ut soli rerum potiremini. Non est difficile ijs colligere quid se futurum sit, oppressis Remonstrantibus: Norunt eandem doctrinam in cœtibus suis doceri, propter quam Remonstrantes in Synodo Dordracena damnastis, & jam passim Remonstrantium cœtus turbari vultis; Eadem ruina tandem se involutum iri nihil dubitant. Nec caussam habent ut spem ullam collocent in clementia vestra; Olim procerum severitatem præsulum Ecclesiæ mansuetudo temperabat; Nunc vestra sævitia vester Zelus, nisi procerum lenitate temperaretur, exiret in plusquam Schyticam immanitatem.. Nec prætextus deessent. Hoc unum axioma quod hic ponitis, pro multis foret. Alioquin omnibus omnino Sectis libertas conveniendi fieret. Hac porta aperta sectarum diluvium fieret, & hæresium catervæ turmatim in Rempub: irruerent. Principijs obviam eundum est. & ubi licentia grassari cæpit, paulatim reprimenda ac tandem funditus exstirpanda est, ut secura sit Ecclesia & Respublica. Ubi una Religio est, ibi tranquillitas & malacia est. Hæc sunt axiomata vestra & Pontificiorum aliorumque mundanorum hominum, quibus nixi nunc in Remonstran-

tes sævitis, quin ijsdem nixi, ubi vires vestræ vobis placuerint, in cæteras omnes sævituri sitis, nemo dubitabit nisi cui pepo pro corde est. Hisce si accedat dogma vestrum de *hæreticorum punitione*, quam ex officio Magistratui curæ esse debere passim docetis, nihil restat ad plenam huic rei fidem faciendam.



AD APPENDICEM.

IUvat hac occasione paucis expendere quæ in appendice sua contra hoc excipiunt Doctores. *De hæreticidio* (inquiunt) *nihil unquam actum fuit nedum conclusum in Synodo Dordracena*.

At 1. Hoc ipsum sufficit, ut credatur Synodum isti sententię favisse. Nempe non ignorabat, Remonstrantes omni tempore ubique locorum in omnibus dictis ac scriptis suis urgere, instare orare & obsecrare, ut Synodus non minus de isto capite, quam de Prædestinatione, sententiam suam diceret, eo quod inter ipsos erant, ac nominatim Synodi ipsius Præses *I. Bogermannus*, quos istud dogma non modo clam aut privatim probare, sed palam publicèque editis vernaculis scriptis, adseruisse, laudasse & Rectoribus Patriæ commendatum ac seriò inculcatum voluisse compertum erat. Profecto tam pestilens error, tam noxia tam detestabilis tam infamis Reformatoribus sententia, tam execrabile ac verè Diabolicum dogma, ut a Synodo damnaretur anathemate Maranatha, intererat Christianæ Reipub: Salvari non possunt, fidenter adserimus & ut animum advertatis obsecramus, Ecclesiarum præsules, qui istud, non dicimus, probant, laudant suadent & commendant, sed qui non improbant, non dissuadent, non execrantur, non ab eo toto animo abhorrent. Quid? an tanti erant quinque Articuli isti ut propter eos Synodus, tantum temporis, tantum laboris, tantum auri argentique impenderet, tot inimicitijs, tot odijs, diffidijs ac factionibus, tot lachrymis patriam atque Ecclesiam funestaret, tot fidos & de Ecclesia Christi bene meritos fratres ac symmystas exautoraret,

ret, proſcriberet, totamque adeo Remp. Fœderati Belgij ſurſum deorſum verteret, & tanti non erat hæc profana & Barbara hæreſis, ut de ea ſæpius rogata ac ſolicitata Synodus ne quidem ageret, aut mentionem ullam faceret? Pudet, pudet. Deinde, Hæreticidij vox latibulum eſt in quod ſe abdunt Doctores. Nempe hæreticos alios faciunt ſimplices hæreticos, alios hæreſium autores, ſeminatores ac propagatores, uti ex Cenſura & Synopſi eorum liquet: iſtos quia occidi nolunt pariter cum his, hinc hæreticidium *ſimpliciter* ſibi probari aut a ſe adſeri ſubdole ac verſute negant, eodem plane ſenſu quo Lipſius ac maledicus ille *G. Scioppius* Regum Principumque flagellum, Pontificiam hæreticos de medio tollendi conſuetudinem fucare atque incruſtare conati ſunt. Paſtoricidium itaque etſi probent, hæreticidium tamen in genere aut, ut in cenſura loquuntur, *ſimpliciter* non probare videri volunt.

At fruſtra uti in Apologia prolixe oſtenſum eſt & facile ex his tribus colligi poteſt. I. Quod ſimplex hæreticus fictio potius Theologica ſit, quam res aut juſta exceptio. II. Quod perinde ſit Remonſtr: ſive ſimplices hæretici excipiantur a cæde, ſive non excipiantur. Sufficit ad damnationem ſi quis ullos hæreticos, quà tales, ſupplicio mortis adfici aut ſuadeat aut velit, imo niſi diſſuadeat ut morte adficiantur, niſi contradicat, niſi repugnet ſuadentibus. Paſtor an ovis ſit, ſimplex an duplex ſit hæreticus, nihil refert. Hæreticus quà hæreticus mortis reus non eſt: errare, falli, decipi, humanum eſt. Nemo ſibi ipſi uſque adeo male vult, ut in ſalutis æternæ negotio, ſe ipſum ſtudio velit fallere, nedum ut fallendo alios, reum ſe velit facere gravioris condemnationis. Beatitudo æterna majus bonum eſt, quam ut a quoquam mortalium de induſtria poſſit negligi nedum ſtudio contemni ant ex profeſſo odio haberi. Ex quo conſequitur, Quanto quis impenſius opinionem ſuam amat, ſive quia eam præciſè creditu ad ſalutem neceſſariam, ſive quia eam vehementer utilem ad pietatem eſſe ſibi perſuadet, & quanto magis aliorum ſaluti atque æternæ fælicitati ſtudet, tanto eum minus odio dignum eſſe; proinde autores, proſeminatoreſque hæreticæ alicujus opinionis, quos credibilius eſt ejus amore ſupra alios omnes duci, minime omnium mereri ut ſupplicio mortis adficiantur. III. Eſto tamen, certum ſit, D.D. & cum ijs Eccleſias Calviniſticas, ſtatuere, neutros extremo capitis ſupplicio afficiendos eſſe, nihilominus extra dubium eſt, eas ubi rerum potiuntur hoc optare, hoc cupere, hoc agere, in hoc eniti, ut qui ipſis videntur hæretici, quavis corporali pæna, ſola mortis extrema pæna excepta, coerceantur &

reprimantur a Magiſtratu Politico. Hoc ſatis eſt Remonſtrantibus, ut damnabilis credi debeat Calviniſtarum ſecta. Præterquam enim quod impoſſibile fere ſit ab hac punitione non delabi tandem ad hæreticidium, & punitiones multæ corporales brevi morte longe ſint atrociores, quicunque alijs armis contra hæreſes aut hæreticos, quà tales, cæteroquin probos pioſque, quam ſpiritualibus pugnant aut pugnari conſulunt, eos omnes carnales homines & conſcientiarum Tyrannos cenſendos eſſe aperte profitentur, nec fieri poſſe ut communionem habeant cum Deo & Filio ejus Ieſu Chriſto. Quippe non violant tantum regiam Chriſti legem, quæ caritatem noſtram ad inimicos uſque extendi vult, ſed ipſam primam naturę legem, quæ iuber, *ut ne faciamus alijs quod nobis fieri nolumus*, quam ipſi ſemper tanquam clypeum obijunt ijs a quibus tanquam hæretici, alijs quam ſpiritualibus armis premi ac vexari ſolent. Nemo leges iſtas ſine ſummo crimine violat, & qui legibus iſtis pro ſe utuntur ut alios crudelotatis damnent, eos aliquando eędem iſtæ leges & ſua propria conſcientia reos agent apud tribunal ſupremi Numinis, inexcuſabilis immanitatis. Verum enim vero, ne quis exiſtimet nos Doctoribus his eorumque Eccleſijs tribuere quod ſibi tributum nolunt, en propriam eorum Confeſſionem; *Verum quidem eſt*, inquiunt, *Synodos atque Eccleſias legitimos ſuos Magiſtratus interdum rogaſſe, ut audaciam quarundam ſectarum, ac nominatim Remonſtranticæ ſua autoritate refrænarent, ac ſolemnia ſaltem ipſorum conventicula congruis rationibus inhiberent:* Hæc eſt nunc aperta eorum Confeſſio, cujus hactenus eos pene puduit, quando vid poſt ſiparium res ſuas agebant, & molimina ſua conſpici non ſinebant palam atque in propatulo. Nimirum tum nihil eorum a ſe geri, quin imo omnia inſcijs atque invitis ſe a Magiſtratibus fieri vulgo perſuaſum ibant, ne ſævitiæ ullatenus viderentur favere. At nunc cum res notior ſit quam ut negari amplius poſſit, cum libellos ſuos ſupplices viritim legi, conſilia, ſtudia & facta ſua palam audiri, videri ac palpari intelligant, cum ſoli fere ſint, qui proceres patriæ ad ſeveritatem excitant, animant atque impellunt, orationem mutant, ſed ita, ut in ea ipſa proferenda ſcrupulum ſentire videantur; Enim vero dum ſententiam ac facta ſua ingenue atque aperte ſignificare volunt, ejuſmodi verba clauſulaſque orationi ſuæ admiſcent, ex quibus-apparet eos ſententiam ſuam præ pudore tegere atque involvere potuis ſtuduiſſe, quam aperte profiteri voluiſſe. Videte enim, obſecro, ſollicitam atque elaboratam orationem eorum in ſingulis fere verbis, *Verum eſt Synodos atque Eccleſias noſtras legitimos*

ſuos

suos Magistratus rogasse. Nempe Legitimi an illegitimi sint Magistratus, magnopere hic ad rem facit, & ea cura Theologos hos solicitos habet. Credat qui volet. *Interdum rogasse* ajunt. Scilicet *interdum*, cum pene nihil aliud egerint jam per decennium integrum; cum nulla Comitia abire sinant sine libellis supplicibus, cum supremos infimosque Magistratus indies pene solicitent, cessantes impellant, currentibus calcar subdant, prætores lictoresque urgeant ac non raro ubi negligentiores aut alieniores Rectores aliquos vident, Tribunitijs concionibus in eos invehantur atq; in capita eorum vulgus concitent. Addunt, *ut audaciam quarundam sectarum refrænarent*. Nempe *audaciam*, & *quarundam* sectarum Et quam *audaciam* quæso? quam ipsi, ubi sub jugo sunt, bonam conscientiam & caussæ fiduciam vocant. Ita nominibus luditur pro arbitrio & pene contra conscientiam a parte triumphante ad opprimendum innoxios. Qui per summam audaciam viam sibi fecerunt ad dominationem, ij ad fastigium ubi pervenerunt, audaciam vocant, quicquid volunt aut credunt sibi officere ulla ratione posse. Patritia ista ars etiam in Ecclesias irrepsit, nec hujus tantum sæculi est. Virtutum scelerumque nomina permutata jam olim fuerunt pro arbitrio partis victricis. Si qui sub cruce positi doctrinam earum palam profiteri ac docere invitis Magistratibus audebant, ista vocabatur fortitudo, & generosa animi Christiani fiducia. Si idem audebant alij invitis ipsis, audacia & scelus erat. Addunt. *Quarundam sectarum.* Nempe ne in omnes simul sævire videantur. Quasi non constet satis omnibus a furno & lacu redeuntibus etiam pueris & qui non ęre lavantur, quis eorũ sit animus in sectas ac segreges cætus omnes in universum. Videantur loca ista omnia, ubi Magistratum ad nutum suum habent; Nulla in ijs secta toleratur, nulla impune fertur. Pariter oderunt omnes, nec cautum suę carnali tranquillitati ac securitati satis putant, nisi sublatis pessumdatisque omnibus ac singulis: vastitiem ubi fecerunt tum demum pacem vocant. *Ac nominatim Remonstranticæ*, inquiunt, Sectæ. sc. At ejus aliarumque sectarum eadem est ratio; Cur itaque nominatim ejus audaciam refrænari petunt? Nempe *D. D. Ordines eam antea factionem in statu suæ Reip. nuncuparunt*, Hoc emphasin habet qua crudelitati color datur. At non ignorant D. D. I. fieri posse ut, quod de crimine læsæ Majestatis aliquando dixit Tacitus, de factione etiam dicatur; factionem scilicet esse crimen eorum qui factione vocant. II. Ut quos antea D. D. ordines factionem nuncuparunt, nunc re propius explorata a factionis crimine immunes esse

 per-

persuasi sint. III. Christianam Religionem a gentilibus & Cæsaribus ipsis Romanis Factionis titulo dehonestatam atque infamatam olim fuisse. IV. Et Reformatam Religionem hoc atroci factionis stigmate quondam inustam fuisse hodieque inuri a Pontificijs alijsque; Unde consequitur, caussam non esse, cur propter istam nuncupationem, Remonstranticæ sectæ nominatim frænum injectum velint, nisi jure ac merito eam sic nuncupatam esse, probandum sibi sumant. Hoc enim si credi tantum velint, uti verba eorum videntur innuere, næ palam faciunt, quam longe absint ab omni rationis atque humanitatis usu. Si probaverint, tum vero dignam se & sua eruditione operam fecerint & magnum argumento suo pondus adjecerint; nec caussam dicimus, sæviat in Remon: Ordinum furor ad extremum usque. Quod si vero id probare aut non possunt aut non volunt, tum profecto non levem alijs suspicandi ac credendi caussam dant, se ejus ipsius criminis, quod Remonstrantibus impingunt, factionis sc. reos esse: Fit enim fere, ut qui per manifestam factionem oppresserunt alios, nulla pene alia re oppressos infament, quam Factionis titulo, ut non per vim sed jure oppressi videantur. Factio fere non est nisi oppressę partis crimen. & qui per factiones quo vult, pervenit, is factiosus audire desinit nō modo apud promiscuum vulgus, quod ex successu atq; eventu omnia metitur & ex fortuna caussā æstimat, sed apud eos omnes quorū interest ne factiosi audiant. Et suspicionem non parū auget præter alia malesanum atque infame consilium eorum, quod aliquando rebellibus civibus, in civitate Amstelodamensi patriæ nostræ ocello in Rectores suos optimos insurgentibus dederunt, quodque manu eorum signatum in officinis omnibus prostat: Quis scopus quis finis, quis animus eorum tum fuerit, quid tum cupiverint, quid optaverint, non ipsi soli norunt. Nihil tam occultum est quod non aliquando revelatur: Addunt denique, *Ac solemnia saltem ipsorum conventicula congruis rationibus inhibeant.* Quot verba tot latebræ, tot fuci. Nimirū non rogant inhiberi eorū omnia conventicula, simpliciter, sed *solemnia saltem*, non quibusvis medijs ac remedijs, sed *rationibus* ijsque *congruis*, tantum. Quis non credat hic operam dedisse D. D. ut mentem suam tegerent & imperitioribus fucum facerent elaborata hac sua oratione? Fieri vix potest quin eos propriæ suæ sententiæ pudeat. Nam I. cum de solemnibus conventiculis Remonstrantium loquuntur, quasi ut ea sola inhibeantur rogaverint, quid falsius? Sive enim solemnia vocent ea quæ quotannis semel Sole revoluto redeunt, sive quę interdiu statis

recep-

receptis ac consuetis horis intra ædium parietes fiunt, sive quæ palam in publico ac coram Sole fiunt, perinde est. Non hujusmodi tantum, sed quælibet quocunque modo fierent Conventicula etiam quæ in noctis conticinio adeoque meridie ipsa noctis fierent, privata, publica, magna, parva, intellexerunt. Nihil enim aliud quam edictorum rigidam ac severam executionem postularunt. At edictis omnia cujuscunque generis sint conventicula, quocunque diei aut noctis tempore fiant, pariter atque universe Remonstran: prohiberi notissimum est. Quando vero ajunt se rogasse ut ea *congruis rationibus* inhiberentur, vix capi potest versipellis & fraudulenta oratio. Sic enim sonat, ac si non vi aut violentia, sed solis merisque rationibus ijsque non incongruis sed congruis tantum utendum esse intelligant, cum certum sit sensum longe alium ac diversum esse, & per rationes non intelligi argumenta, sed modos violentæ coercitionis, quos tamen cum congruos esse velint, incertum est quid intelligant: Modi enim congrui censeri possunt etiam isti, qui cum extrema violentia & sanguine sunt conjuncti; Congruum enim est, quicquid tempori, occasioni aut necessitati subito natæ aptum ac conveniens est. Tempus itaque aut necessitas si arma, si gladios, si sclopeta, si carnificem postulet, congruæ erunt rationes, si quis ijs utatur ad inhibendum conventicula Remonstrantium. En ut sub verbo ad captandum benevolentiam & declinandum invidiam composito, malevolus & sanguinarius animus latere possit. Ne quis vero existimet, nos voces has præter D. D. mentem accipere, videatur obsecramus Disputatio L. horũ D. D. in purioris Theologiæ eorum Synopsi, Thes. lvi. ubi non obscurè significant, se malle in eorum Theologorum sententiam ire, qui a supplicio capitis abstinendum putant circa plerosque hæreticorum, ubi alia ratio datur hæreticos *ex æquo & bono coercendi*. Hoc ipso enim significant, congruam rationem fore extremnm supplicium, si alia ratio ex æquo & bono coercendi non detur. Sed hæc pluribus in Apologia detecta sunt, ad quæ responsionem exspectamus. Esto tamen per *congruas* rationes non intellexerint D. D. extremum supplicium. Quas ergo congruas rationes intelligi volunt? Sine dubio easdem quas Edicta habent, quorum executionem strictam ac rigidam postulant & quæ ubique probant laudant & commendant, Vid. præter multas pecuniarias, perpetuos carceres, nebulonum ergastula, proscriptiones, bonorum confiscationes, aliasque pœnas arbitrarias. Quid videtur? An non hæ sunt congruæ rationes Viri Clarissimi? Profecto vos si isthic sitis, valde incongruas esse sentia-

tia-

tiatis: Loquantur pro vobis fidei vestræ consortes, quibus congruæ istæ rationes adhibenter in locis istis, ubi doctrina vestra hæretica judicatur & extremum hæreticorum supplicium aut damnatur aut in usu non est. Nolite dubitare quin illi rationum istarum vim sentientes sapere vos iubeant & magis congrue ratiocinari. *Interim* inquiunt, *supremorum Magistratuum officium esse oculo Vigilanti externi cultus divini curam gerere, omniaque arcere, quæ verum, quem ipsimet profitentur, Dei cultum perturbant atque impediunt, nullæ unquam Ecclesiæ Reformatæ negarunt.* Esto. At aliud est arcere, aliud istis congruis vestris rationibus arcere: de modo quæritur non de re. Deinde, aliud est arcere quæ perturbant verum Dei cultum, aliud arcere quæ perturbant cultum, de quo quæritur an verus Dei cultus sit, & cujus quæstionis infallibilis decisio penes Magistratum aut Ecclesiam non stat. Neque enim sufficit ut Magistratus istum cultum suum verum Dei cultum esse statuat, cum fieri possit ut in eo erret, atque ita dum congruas istas vestras rationes adhibet, falsum Dei cultum stabiliat, & verum Dei cultum finibus suis proscribat, atque ita non modo non debitam cultus divini curam gerat, sed seipsum ingenti culpæ atque reatui ptofligati divini cultultus obstringat, maximo suo & subditorum suorum damno ac detrimento, quod non raro evenisse multorum sæculorum tristia sane ac deploranda documenta fidem fecerunt. Atque hæc caussa est, cur non pauci Ecclesiarum Reformatarum Doctores, interque eos ipse Martinus Lutherus congruas istas vestras rationes, tanquam ipsius Antichristi genuinas proles damnaverint ac ubi occasio tulit, accuratè confutarint. Et ratio manifesta est. Si Magistratus officium est, congruis istis rationibus uti, ut arceat omnia quæ ad cultum Dei, quem ipse sibi persuadet verum Dei cultum esse, perturbandum atque impediendum faciunt, quotquot ergo Magistratus istis rationibus usi sunt contra eos quos perturbatores veri Dei cultus esse sibi persuadebant, ij in eo recte atque ex officio se gessisse judicandi sunt, imo nisi ita se gessissent, officij sui curam nō habuisse ex istimandi essent. Par enim & æqualis omnium est ratio. Videant ergo D.D. annō hac fidelia sua dealbent omniū Tyrannorum qui a cæde tantum & sanguine hæreticorum, quos putaverunt, abstinuerūt, crudelissima facta, licet contra innocentissimos & fidelissimos Dei servos exercita. *Idem* inquiunt D. D. *praxis ac laudabilia V. T. exempla absque omni contradictione demonstrant.* Atqui 1. de hęresibus ant hæreticis in V. T. ne mentio quidem fit: Nec constat hæresin ullam locum habuisse in populo Dei primo templo ad-

adhuc ſtante,& quamdiu vates vatumque reſponſa in populo vigebant: Idololatriam tum aliaſque legis divinæ prævaricationes in populo frequentatas eſſe manifeſtum eſt. At de hæreſibus altum eſt ſilentium. Nec mirum. Vatum reſponſa oracula erant, quæ aut ſequenda erant aut divini Nnminis reverentia ponenda. Sub templo ſecundo, cum ceſſarent vates vatumque oracula,idololatria deſijt & hæreſes natæ ſunt. At contra hæreſes iſtas unquam rationes has congruas D.D. adhibitas fuiſſe non modo non eſt certum, ſed ex ipſa experientia evincitur eſſe falſum. Synagogæ enim Sadducæorum,Phariſæorum, Eſſenorum, liberæ ſemper in populo iſto fuerunt,& imperturbatę ſalvâ publicâ templi Religione. Nunquam contra eas quicquam tentatum fuit, nec altera alteram tollere,proſcribere aut exterminare finibus ſuis ſtuduit,ſed ſingulæ juris ſemper ſui manſerunt, licet numero pauciſſimæ, & nullo alioquin favore aut gratiâ procerum fultæ aut adiutæ eſſenr. Sed addunt D. D. *Manifeſta hac de re habemus primi ac præſtantiſſimi Ghriſtianiſmi exempla ſub Imperatoribus ac regibus Chriſtianis.* Itane viri Clariſſ.? At quis adeo Antiquitatis priſcæ ignarus eſt, qui neſciat primis quatuor ſæculis Orthodoxos nunquam & nuſquam imploraſſe ſæculare brachium, aut, poſtquam Cæſares ingreſſi erant in Eccleſiam, Cæſarum auxilium adverſus hæreticos? Quin id frequentiſſimè factum fuerit ab hæreticis, Arianis imprimis, nemini dubium eſt. Et quamquam juſtus dolor Orthodoxos exſtimulare potuiſſe videbatur ad agendum cum Arianis ex lege talionis,tamen mitiora ſemper ijs ut mitiſſimi Magiſtri diſcipulis conſilia placuerunt,uſque dum Donatiſtarum & Circumcellionum rabies ac furor, qui gladijs occidebant,falcibus mutilabant, calce aceto temperatâ Orthodoxos exoculabant, ad acriora ac ſeveriora remedia eos protruderet, id eſt ad implorandum Cæſaris auxilium, contra eos qui quovis ſupplicio digni erant, etiamſi nullus acceſſiſſet error hæreticus. Et tamen tanta erat Epiſcoporum iſtius temporis lenitas tanta manſuetudo, ut pleriſque conſilia eorum qui Cæſarum opem implorabant contra iſtos diſplicuerint, nonnulli quoq; inter quos etiam Auguſtinus erat, ſeverioribus decretis procuratorum Cæſaris interceſſerint, exiſtimantes non decere Epiſcopos alijs armis uti, quam verbo Dei, precibus, & ſeparatione a communione. Hoc tum erat extremum Eccleſiæ ſupplicium. Jam vos egregij,ſcilicet, manſuetudinis Chriſtianę Magiſtri & primitivæ Eccleſiæ diſcipuli ſolicitè cavetis, ne Magiſtratus negligentius decreta ſua in Remonſtrantes exequantur, aulæ foribus adſiſtitis quaſi ſatellites per-

pe-

petui,& prætorum fidi aſſeclæ, optimos Reipub. noſtræ Rectores vel naturæ indole, vel Chriſti doctrina leniores,ac indies miteſcentes, conſilijs libelliſque veſtris ad tuendum edictorum rigorem incitatis. Meminiſſe vos oportebat,hæc exprobrata non ita pridem *Perenotto*, *Tappero*, alijſque iſtius farinæ hominibus,ad quorum exemplum vos jam toti (cogimur dicere) componitis. Et hæc dum facitis,dum carceres,bonorum exactiones,exilia ſuadetis, congruas vos rationes Magiſtratui ſuggerere putatis, quibus Remonſtrantium cætus prohiberi poſſint aut inhiberi. At parcitis familijs, parcitis conſcientijs privatorum: O clementiam! qua clementiores reperiuntur Turcæ, qui inſuper Chriſtianorum conventus permittunt & autoritate ſua protegunt. Non ſufficiebat olim vobis veſtriſque iſta clementia, cum publicorum exercitiorum libertatem vobis concedi poſtulabatis, ne conſcientijs veſtris vis fieret. Sævitia vobis erat & conſcientiarum carnificina, pabulo exercitiorum publicorum vos privare & ſentiendi tantū libertatem atque incoactam ſententiæ profeſſionem vobis veſtriſque familijs concedere. Exercitia publica tum pabulum erant animabus veſtris, quæ ſubducere, tantundem erat, atque cibum famelicis ſubtrahere & quibus vita conceditur ijs nutrimentum negare ſuſtentandæ vitæ neceſſarium: Atque hæc non tantum erat veſtra oratio, cum adhuc ſub jugo perſecutionum gemebatis,ſed in hac ipſa patria ac Repub. noſtra paulo ante Synodum Dordracenam,cum templa ac oratoria publica vobis non minus quam Remonſtrantibus patebant, & nihilominus tamen,invitis Rectoribus,contra omne jus ac fas,ſoli vobis templa flagitabatis,quin & ſtrictis mucronibus Rectoribus urbium extorquebatis, & ſeceſſione facta in Clauſtrale templū aliaque loca vacua ſub ipſis ſupremarum poteſtatum oculis,involabatis,eaque faciebatis quæ non ſine Lachrymis ſpectavit Belgium atque ingemuit. Sed cum temporibus ac fortuna vertitur oratio, non aliter quam navigium æſtus reciprocatione. Addunt Doctores. *Quod autem Remonſtran. curam illam atque inſpectionem Magiſtratus nunc limitant atque ad templa publica reſtringunt, id valde ridiculum eſt.* Cur? *Nam ita non ſunt locuti, quando Utenbogardus librum illum conſcripſit de Officio Magiſtratus ſc.* At 1. argumentum hoc adeo ridiculum eſt ut nihil ſupra. 2. Falſum eſt, eos non ita locutos eſſe. Quin ſcopus D. Utenbogardi reverendi viri & prudentiſſimi ſenis is fuerit,nemo negabit qui librum iſtum leget,& ſalutaria viri iſtius conſilia ſtudiaque pro Eccleſia & mutua in ea Chriſtianorum tolerantia perſpecta habet. 3. Nec Remonſtrantium ullus eſt, quem diver-

diversum quid aut contrarium locutum esse constat. Et cur aut quomodo aliter loquuti fuissent, cum omnes ac singuli unanimiter mutuam in non necessarijs dogmatis tolerantiam tanquam panacæam Christiano orbi ac nominatim patriæ nostræ Rectoribus commendatam esse vellent? *Atqui tum edicta Ultrajectensia ac Schielandica pro ipsis adversus Contra-Remonstrantes fuerunt publicata.* Fatemur, sed tantum abest ut autoribus ipsis id factum sit, ut plane inscijs atque invitis ipsis id acciderit. Nunquam ea aut suasa aut probata, aut laudata esse a Remonstr: comprobabitur, etiamsi certum sit, edicta ista publicata fuisse non ut cujusquam Reformati animo aut exercitio publico vis fieret, sed tantũ contra turbulentos & factiosos quosdam homines, qui cum publica templa adire & pręcones sibi addictos in ijs audire possent, per secessionem nõ necessariam viam sibi moliebantur ad consilia mutuæ tolerantiæ turbandum & regimen Reipub. totius mutandum atque evertendum.
11. non tam ad terrorem quam ad exemplum, ne schisma glisceret, & Respub. factionibus laboraret, quæ jure metuebantur ex ista non necessaria & periculis plena secessione, quam in Sciano agro faciebant, non qui larem ibi habebant (vix quindecim tales erant, qui interim pastores suę fidei addictos audire poterant in oppido & pagis vicinis) sed peregrini quidam & advenæ aut ex vicinis urbibus evocati ad numerum augendum, qui seditiosis vocibus ac minis non levibus, veluti conspiratione facta, omnia implebant terrore ac metu, prout prolixè & accuratè ex Apologetico D. Grotij constare potest. *At hæc exceptio turbulentis ingenijs viam sternit, qua se ex Magistratus potestate subducere satagunt.* Primò Quasi vero turbulenta ingenia non ex quavis etiam optima caussa ansam quærere possint, qua se Magistratus potestati subducant. Turbare volenti sacra omnia profana sunt. Apparuit res in vestrę fidei sectatoribus, cum ante mutatum patriæ regimen, segreges cœtus faciebãt in oppidis, pagis, vicisque, sine caussa, sine necessitate, invitis & reclamantibus Magistratibus. Nam exceptio hæc apud eos locum non habebat; volunt enim Magistratus curam atque inspectionem non ad publica tantũ templa restringi, sed ad quoslibet segreges cœtus extendi, & tamen Magistratu non urbico tantũ sed supremo refragante adeoque invito quin & repugnante cœtus fecerunt, turbulentisque suis ingenijs viam sibi straverunt, qua ex Magistratus potestate se subduxerunt. Nulla exceptio eos tueri, nulla species facta eorum a turbulentia excusare potest, si hæc una non excusat quam hic in Remonst: tantopere traducitis. Deinde quæ

veri ſimilis ratio dari poteſt, quod exceptio iſta turbulentis ingenijs viam ſternat, qua ſe ex Magiſtratus poteſtate ſubducant? Nam aut libertas iſta debetur ijs, aut non debetur; Si debetur ijs, juſta eſt exceptio ſive viam ijs ſternat ſive nō ſternat ad rebellionem, quamquam ut uſus libertatis, qui ijs jure debetur, ijs per ſe viam ſternat ad rebellionem, ratio non ſinit. Imò ſi debetur ijs, & nihilominus tamen negatur, ut viam ijs per ſe ſternat ad rebellionem pene neceſſarium eſt: Nullus enim dolor juſtior quam is quem gignit liberratis quæ debetur ereptio aut negatio. Si non debetur, & nihilominus indulgetur ac conceditur a Magiſtratibus, beneficio iſto flectentur potius ad liberale obſequium quam ad rebellionem. Beneficijs enim & feræ cicurantur. Quod ſi beneficio etiam iſto ſingulari abuti velint, uti ſane poſſunt, quo tandem obice reprimentur ſi turbare velint? Denique ſi iſto argumento uti velint Doctores, cōgitent eodem uti poſſe Magiſtratus omnes contra ipſos & fidei ipſorum conſortes, atque ita ubi falſitas dominatur, veritati viam præcluſam æternum manere: ut enim in tali caſu ſe turbulenta ingenia eſſe negent, ridiculum eſt. Concludimus, Argumentum hoc nullius pretij eſſe, niſi primum probetur, poteſtatem illam Magiſtratui in loca privata, quæ religionis exercendæ cauſſa cętibus convocandis deſtinantur, jure deberi. Hoc enim quamdiu non probatur, ea quę per accidens & non per ſe metuuntur incommoda a turbulentis ingenijs, in cenſum venire non debent:

Ex his patere credimus, quod Remonſt: ſummo meritiſſimoque jure in Apologia ſua & paſſim alibi, pronunciaverint, ſe ſacrorum communionem bona conſcientia cum Calviniſticis Eccleſijs colere non poſſe, quamdiu hæreticorum ſupplicium, atque imprimis hæreticidium (quod, ſi non unicum, ſaltem præcipuum eſt autoritatis & Religionis Pontificiæ fulcrum ac firmamentum, totiuſque adeo Chriſtianæ caritatis deleterium) ab ipſis propugnabitur, aut non damnabitur.

Accedit alterum etiam caput, quod nunc in hac Appendice aperte D.D. profitentur, *doctrinam ſc. de Prædeſtinatione, qualis in Synodo Dordracena pronunciata fuit præſentibus plerarumque Eccleſiarum Reformatarum Deputatis, cum rejectione contrariæ Remonſtrantium ſententiæ, non modo creditu ad ſalutem neceſſariam in Synodo iſta declaratam eſſe, ſed antea quoque ab iiſdem Eccleſijs ſuis pro neceſſaria perpetuo agnitam ac receptam fuiſſe*; Hoc enim poſterius, etiamſi falſiſſimum ſit, tanti tamen eſſe prudentiores omnes vident, ut credi debeat, jure meritoque Remonſtrantes in Apologia ſua & alibi paſſim

dixiſſe

dixisse,se communionem cum Ecclesijs Calvinisticis colere nec velle debere nec velle posse,idcirco quod Articulos de Prędestinatione, prout in Synodo Dordracena decisi sunt,necessarios ad salutem esse statuant, cum Remonstrantes eos non modo non necessarios sed & falsos esse credant, tales tamen, ut in Ecclesia salvâ animorum concordia & necessariâ veritate tolerari possint. Ex hoc etiam apparet, si verum est quod hic D.D. fidenter asserunt, Articulos istos ab Ecclesijs Calvinistarum pro necessarijs *perpetuò* fuisse agnitos ac receptos,tum omnia quęcunque ante Synodum Dordracenam ab Ecclesijs istis ad communem pacem & concordiam cum Lutheranis ineundam olim in Germania, Anglia,Polonia,Bohemia,& hoc nostro Belgio acta fuerunt, simulatè ac falsò acta esse, quę verò nunc post Synodum istam subinde ab his D. D. alijsque effutiuntur, tanquam si concordia & pax coire iterum posset, si modo intra quinque articulos tantum consisteretur, ea imprimis falsa ac vana esse, quæque cum conscientia bona neutiquam possunt consistere. Veruntamen ut finem hinc Responsioni imponamus, juvat Coronidis loco adnectere. Quam falsum sit quod hic D. D. affirmant pro sua autoritate, Doctrinam istam Dordracenæ Synodi de Prædestinatione antea ab omnibus Ecclesijs Reformatis perpetuo pro necessaria fuisse agnitam ac receptam: Enimvero certum est I. Nullum Canonem, nullum decretum ullius Ecclesię Reformatæ adduci posse, quo doctrina ista necessaria pronunciata est. II. Certum est,esse Ecclesias Reformatas,ac nominatim *Anhaltinam*,quæ doctrinam istam non probat & proximè ad Remonstrantium doctrinam accedit, quæ caussa etiam fuit, cur deputati istius Ecclesiæ ad Synodum Dordracenam vocati non fuerint. III. Certum est, Harmoniæ Ecclesiarum Reformatarum,AugustanamConfessionem, ut alias jam non recenseamus,etiam insertam esse,quę cum Doctrina Remonstrantium examussim convenit, adeoque Doctrinã Dordracenæ Synodi non obscurè damnat. IV. Certum est, Ecclesias complures Reformatas, quas D.D. vocant, cum Lutheranis,quamquam in pluribus Articulis ac nominatim in Articulo de Eucharistia, ab ipsis dissentientibus, fædus fraternitatis ac tolerantiæ mutuæ inivisse, cum reciproca pollicitatione, se habituros invicem pro pijs cœtibus & mutuam concordiam culturos tam in audiendis sacris concionibus,quam in sacrorum rituum participatione, uti Helveticæ cum Luthero Anno CIↃ. IↃ. XXXVII. Bohemicę & Helveticæ cum Augustanis in conventu SendomiriensiPoloniæ.An: CIↃ. IↃ. LXX. Hussiticæ sive Valdenses cum ijsdem An. CIↃ. IↃ. LXXV.

Certum. v. est, Ecclesias complures, ac nominatim legatos Reginæ Angliæ multorumque Principum, Francofurti eò adlaborasse An. CIↃ. IↃ. lxxvii, quin & Ecclesias Belgico-Germanicas libro quem ea de re ediderunt An. CIↃ. IↃ. lxxix. Electorem Palatinum qui nuper vixit, ad Palatinum Neoburgicum, & An: CIↃ, IↃC. vii. ad Regem Britanniarum & primores patriæ nostræ Federatos literis scriptis id tentasse; uti etiam Brandeburgicus editis eam in rem edictis. vi. Certum est Iacobum Regem M. Britanniæ noluisse, ut capita quędã de Prædestinatione Symbolo Anglicano tanquam necessaria adnecterentur, in Colloquio Hamptoniensi. Quin imo eundem Regem literis scriptis An. CIↃ. IↃ c. xiii. ordinibus patrię nostræ significasse, non ita inter se distare sententias quin cum Christiana veritate & salute animarum possint consistere. vii. Certum est, Synodum Hollandiæ Austrinæ, An: CIↃ. IↃ. c. v. idem decrevisse & eo fine ad Augustanæ Confessionis sectatores literas scripsisse & quod mirere, Synodum Gallicarum in Belgico Germania Ecclesiarum, cui sine dubio interfuit D. Ioannes Polyander, cujus jam hæc etiam est Appendix, An. CIↃ. IↃ. c. xii. & An: CIↃ. IↃ. c. xiii. testatam ac pollicitam esse, quominus fraternitatis jura cum pastoribus sui corporis servarent, controversias de hoc capite non obstituras. viii. Certum est complures Ecclesiarum Reformatarum Doctores eosq; primi subsellij concordiam hanc commendasse, suasisse & quanta potuerũt contentione ursisse, uti scripta Urzini, Juelli, Danæi, Withakeri, testantur. ix. Certum est, *Calvinum* ipsum cum Philippo Melanthone Fraternitatem coluisse, cum tamen fateatur se in dogmate de Prædestinatione ab eo dissentire; Vide in eum finem scriptam a Calvino ad Melanthonem Epistolam cxli. & Præfationem Calvini ad Gallice a se versos locos communes Melanthonis. *Perkinsium* inter controversias non fundamentales ponere eam quæ est de Gratia Universali & libero Arbitrio. *Paræum* in comment: suis in 1. ad Corinth: 3. inter stipulas referre quæstionem de libero Arbitrio. *Plessæum* in Gallijs scriptis literis identidem mutuam tolerantiam consuluisse. *Molinæum* etiam in consilio suo, quod ante Synodum Dordracenam Gallicè scripsit, quæstionibus istis quas in communi Symbolo concipiendo prætermitti posse existimat, & sine quarum notitia salvari nos posse ait, accensere etiam ea quæ ab Arminio erant proposita de Libero Arbitrio, de Perseveratione piorum & Prædestinatione. Hæc profecto, ut alia jam non adducamus, sufficere posse credimus, ut appareat, quam falsum sit quod hic Doctores adseverant

verant & cujus contrarium ridiculè & ſine ullo fundamento a Remonſt: affirmari contendunt, Doctrinam Synodi Dordracenæ de Prædeſtinatione ab omnibus Eccleſijs Reformatis, imprimis quarum Deputati in Synodo iſta comparuerunt, pro neceſſaria perpetuo fuiſſe agnitam ac receptam, ac proinde mutuam tolerantiam in iſto capite cum Remonſtrantibus coli non potuiſſe nec etiamnum coli poſſe. Quę in contrarium allegant Doctores uſq; adeo ſunt frigida ac frivola, ut iſtis quę jam allegavimus ne veriſimiliter quidem poſſint opponi.

Hæc cum ita ſe habeant, quid reſtat aliud, quam ut concludamus, Sole meridiano manifeſtius eſſe, quod per hos D. D. eorumque ſocios ſtet, quominus de pace & concordia ſerio poſſit agi, ac proinde,

I. Quæcunque a Remonſtrantibus hactenus ſuggeſta ſunt pro mutua tolerantia, quæque ab alijs pacis amantibus viris hic illic ſuggeruntur ad concordiam conſilia, ea omnia eſſe fruſtranea atque inutilia.

II. Quæcunque ab his D. D. alijſque obtenduntur tanquam pacis ac concordiæ, quæ a Remonſt: obijciantur, impedimenta, ea dicis tantum cauſſâ obtendi.

III. Excerpta etiam hęc, etiamſi veriſſima eſſent & magni alicuius momenti, πρόφασιν tantum eſſe, ut credatur, Remonſtrates in cauſſa eſſe, cur pax non coeat & ſchiſmati remedium non inveniatur: Ratio eſt. Qua etiamſi alia nulla eſſent (uti revera alia non ſunt) ſi ſola tantum reſtaret doctrina de Prædeſtinatione ſive quinque-Articulana, Doctores hi nihilominus nec vellent nec velle poſſent de concordia aut mutua tolerantiâ cogitationes ſeriò ſuſcipere; quia doctrinam iſtam, prout in Synodo Dordracena deciſa eſt, neceſſariam eſſe, pro neceſſaria perpetuò agnitam ac receptam ac proinde pro neceſſaria impoſterum ſemper agnoſcendam ac recipiendam eſſe pronunciant; Et quia inſuper ad officium Magiſtratuum pertinere volunt, ut hæreſes omni vi arceant ac reprimant, hæreticoſque, ſi non morte, quavis tamen corporali pæna adficiant, & ſi in officio iſto ſuo faciendo ceſſent aut langueant; officij ſui eſſe, eos monere, incitare, impellere, & urgere; hinc ſequitur eos credere, rectè atque egregiè ſe facere, cum de perſequendis & vexandis Remonſtrantibus qui veritatem iſtam neceſſariam non modo negant, ſed & impugnant pertinaciter, ac proinde hæretici ipſis ſunt, deque Magiſtratibus ad exequendum ſeveriſſima edicta ſua impellendis uſque adeo ſoliciti ſunt, tam ſeria agitant conſilia in Claſſibus, Sy-

nodis, & conventibus ſuis, & omnia ſine intermiſſione ſuadēt, conſulunt ac tentant, quæ ad Remonſtrantium non oppreſſionem tantum ſed totalem exſtirpationem pertinere poſſe credunt.

Quæ profecto talia ſunt, ut Remonſtrantes non credant quemquam adeo a Sole averſum eſſe, qui nō intelligat ac perſpiciat, vim ijs fieri, quando vel diſſidij ac ſchiſmatis hujus in Belgio autores, fontes aut fomites eſſe aſſeruntur; Vel id crimini ipſis datur, quod cum Eccleſijs iſtis ex quibus ejecti ſunt & in quibus placita iſta palam aſſeruntur, in gratiam ac pacem redire non ſtudeant, ſed res ſuas ſibi habere & ſeorſim ab illis conſcientiæ ſuæ ædificandæ convenire malint. Pacem & concordiam Eccleſiæ & patriæ ſuæ quin & Chriſtianorum omnium animitus amant Remonſtrantes: utinam eam vel ſanguine ſuo poſſent redimere! Omnes alias curas, omnia alia ſtudia, omnia alia conſilia præ illo vilia habent ac pene ſupervacanea, parati tanti boni cauſſa aptare ſe omnium diſſentientium infirmitatibus & ad ultimos uſque patientiæ, caritatis ac moderationis terminos ſe demittere, veniam petere ac viciſſim dare, certi ac perſuaſi commiſeratione opus eſſe, in tanta, ingeniorum imbecillitate, judiciorum varietate, errorum multitudine, animorum ægritudine, ſtudiorum diverſitate & rerum variarum perplexitate.

At ut vel ambiant gratiam, vel optent cupiantue communionem eorum, qui ex Articulis non modo non neceſſarijs ad ſalutem, ſed falſis, adeoque divinæ gloriæ, bonitati, miſericordiæ, juſtitiæ & ſinceritati injurijs, pietatis fundamenta labefactantibus & Religioni toti imprimis Chriſtianæ noxijs, per Synodales conſtitutiones ſuas faciunt Articulos, quos in Eccleſijs ſuis neceſſario retinendos, in Scholis perpetuo docendos & cum contrarię non minus utilis quam veræ ſententiæ rejectione, ad extremum uſque vitæ halitum tuendos ac defendendos eſſe aſſerunt: II. Qui Chriſtianos homines errantes & in errore ſuo ex conſcientiæ ſuæ dictamine perſiſtentes, cæteroquin ſcelerum puros vitęque integros, perſequuntur aut perſequendos eſſe docent, eumque in finem Reges, Principes, Magiſtratus ſummos imoſque quibus poſſunt modis incitant, impellunt ac ſolicitant; III. Qui ſchiſmata aut faciunt, aut alunt, aut conſulunt ob diſſenſiones in Religione circa dogmata non præciſè creditu ad ſalutem neceſſaria: Ut, inquam, horum vel gratiam ambiant, vel communionem optent cupiantue nec Deus, nec conſcientia, nec ratio ſinunt. Stat enim hæc Remonſtrantium ſententia, & ſtabit, niſi meliora doceantur, rata ac fixa,

I. In lite quinque-Articulana concordiam per mutuam tolerantiam coli

coli posse, dummodo extrema quædam vitentur, quæ pars utraque fateri cogitur esse divinæ gloriæ, & saluti hominum ac pietatis studio noxia.

II. Dogma quod errantium sed piorum Christianorum persecutionem licitam imo præceptam Magistratui esse statuit, intolerabile esse in Ecclesia Iesu Christi, neque quicquam Ecclesiç antistites minus decere, quam ut Magistratum ad persecutiones, quid dicimus ad cædem? animent atque impellant; Quin imo eos latissimæ culpæ se obstringere, nisi Magistratus, si forte contingat eos publicæ tranquillitatis caussa edicta quædam pænis severis sancita, in innoxios ejusmodi errantes cudere, officij sui commonefaciant, & severitatem edictorum intercessione sua conentur mitigare.

III. Schismata omnia quæ ob non necessaria Fidei dogmata fiunt, injusta esse atque illegitima: Crassæ ignorantiæ aut affectuum pravitati partiumve studio imputandum esse, ubi ob alia turbatur, quam quæ præcisè necessaria sunt: In omnibus tolerantiam mutuam coli posse ac debere, ex caritatis & prudentiæ Christianæ legibus, præterquam in ijs, sine quibus recte creditis salvari non possimus. Atque hoc unum credunt esse schismatum, dissensionum, odiorumque omnium certissimum ac præsentissimum remedium, quod utinam amplectatur orbis Christianus, & pax erit.

FINIS.

Errata Typographica.

Pag: 6. *Lin:* 3. *Fibulan*, lege, *Fibulam*.
Pag: 23. *Lin:* 14. *Omnem*, lege, *Omne*.
Pag: 28. *Lin:* 31. *Nefas*, lege, *Fas*.
Pag: 41. *Lin:* 33. *Floreruntt*, lege, *Floruerunt*.
Pag: 64. *Lin:* 35. *Monstrare*, lege, *Monstraturus*.
Pag: 89. *Lin:* 39. *Trycis*, lege, *Tricis*.
Pag: 130. *Lin:* 13. *Obyunt*, lege, *Obyciunt*.
Ibid: *Lin:* 16. *Crudelotatis*, lege, *Crudelitatis*.
Ibid: *Lin:* 3. a fin: *Potuis*, lege, *Potius*.

